3

De utriusque gladii facultate, usuque legitimo, Axioma catholicum: authore Reuerendo in Christo patre D. Roberto, diuina clementia Arboricẽsi præsule, doctore Theologo & ordine & origine Parisiensi.

Adiecta est methodus quędam apologetica, super comprimenda hæreticorum ferocia ad D. Frãciscum Baptistam Candelariũ, aulæ Rothomagensis Palatinæ Senatorem, iurisconsultissimorum æquissimũ, eodem authore.

PARISIIS.

Ex officina Carolæ Guillard sub Sole aureo, uia ad diuum Iacobum.

Anno domini

1546.

MARTINI MESNARTII PARISIensis hendecasyllabum ad authorem, eiusdem nomen alariis elementis colligens.

R es & terra canit tuas & æthe R,
O mnis Gallia te ore promit vn O
B asim, cui vocitare iustus Io B.
E n orbes superi tonante voc E
R eddentes tibi gratiam audiuntu R.
T e Northmania, te Lutecia effer T,
E t paganus, & hercle miles ipse E.
C ui nec prœla tacēt libraria, isthæ C
E t præstās schola laudem, vt & Camœna E.
N ecnon fœtus hic aureum volume N
A ssurgit tibi, concinitque dign A
L audis præmia quem modo aureus So L
I n lucem iubet egredi, hoc & vt I
S uadet, dátue licentiam quibusui S.

Eiusdem ad lectorem carmen circulare.

Contegitur nuce glans, frumentum condit arista,
Conchula tincturam dat tibi purpuream.
Perspicito (bone vir) condat quid pagina præsens,
Cortice sub modico fert ita diuitias.
Pontificum pia quid grauitas, quid sanctio legum,
Cœlica quid dictent hic simul inuenies.

Inuerte.

Purpuream tibi dat tincturam conchula, arista
Condit frumentum, glans nuce contegitur.
Diuitias ita fert modico sub cortice præsens
Pagina, quid condat (vir bone) perspicito.
Inuenies simul hic dictent quid cœlica, legum
Sanctio quid, grauitas quid pia pontificum.

Eiusdem ad idem distichum nouum, singulis vocibus in se retrogradis constans.

Oro non reffer muccum sitis, ebibe: messem
Non eme, sumamus: non ege, ibi ecce seges.

IN AXIOMA DE VSU AC POtestate utriusque gladij, spiritualis scilicet & corporalis: quomodo hic corpus afficiat, ille animum: liminaris commendatitia epistola ad Reuerendissimum D.D. Franciscum Turnonium, Tituli sanctorum Petri & Marcellini presbyterũ Cardinalem, ac Nouampopulaniæ primarium antistitem, Germanici quoque Pratensis cœnobij in summœnio Parisiensi præsulem per omnia bene merentem.

CVM te certissimè sciam aulici comitatus curis penè obrutum, eiusq; nexibus undiq; implicitum (purpuratorũ ecclesiæ procerum eximium decus, aulicorumq; tutissimum asylum Frãcisce Turnonie) forsan cõmisisse uidebor, quòd ardua (quibus seriò semper incũbis) & publica & priuata negotia meis nugis interturbare aggrediar. Qua ĩ re authorẽ habeo poetã illũ perspicacissimum ad Augustum Cæsarem ita præloquentẽ:

Cùm tot sustineas & tanta negotia solus:
Res Italas armis tutêris, moribus ornes,
Legibus emendes: in commoda publica peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Cæsar.

Cùm igitur huius eulogij pars maxima tuæ aptissimè congruat auctoritati: nihil mihi superesse uidebam, nisi quòd à proprio desisterẽ instituto. Vicisset itaque ea omninò sententia, quæ mihi silentiũ imperabat: nisi scirem cuiuis homini, quantũcunq; occupatissimo, ioca nonnunquam seriis admiscenda, ne extentus semper

lentescat, mollitieue cōtrahat arcus. En igitur tibi offe *ro quoddā artis gladiatoriæ specimen, cuius & ius & usūm ecclesiasticæ osores disciplinæ, priscorūq; dogmatum nouatores, imò potius euersores, ausu sacrilego ab ipsa ecclesia exterminandū curarunt.* Idq; *eo consilio peragendū curaui, ut aduersus eos accingaris gladio tuo, sacra scilicet & spūali auctoritate fulto, super femur tuū potētissimè.* Cuius *auctoritatis specie fultus & pulchritudine, si uel leuissima intēderis opera, prosperè procedes, & aduersus rebelles hæreticos regnabis: eosq; imperata facere coges, ac uictos uictorū legē subire cōpelles.* Eoq; *rem totam deduces, ut conuertere illos oporteat gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces: qui à rusticatiōe atq; agricultura, agmine facto, uiq; aperta, suos errores orbi obtrudere nitūtur.* Aequū *enim est, ut qui à stimulo ad lanceam, à flagello ad frameā, ab aratro prorūpere ausi sunt ad classicū: uice uersa, ex usurpato classico redeāt ad pristinum aratrum.* Nā *unde exeunt flumina, eò reuertātur necesse est.* Nec *difficile fuerit rem quālibet reuerti in pristinā naturā.* Iam *quis nō detestetur, ac planè etiam exhorreat in hominibus istis (nisi beluas, & eas quidē sæuissimas, appellare malis) fraudulentū ac planè deploratū, orciq; familiæ iampridē addictū ingeniū? qui perniciosissimo suo cūmēto, nihil aliud moliūtur, q̄ indelebilem ac toto orbe latissimè euagaturā seditionis flāmam ex minutula quadā scintilla orbi immittere: dū scilicet cogitāt impij homines, omnes laicorū ordines à disciplinæ ecclesiasticæ iugo eximere, ut semel abiectis censuræ ecclesiasticæ repagulis, prætextu cuiusdā barbaricæ libertatis, īpudēter ac licēter in omne lasci-*

niæ a6

giæ ac libidinis genus eis liceat euagari, equi more lasciuiẽtis atq; indomiti, freno simul ac ratione carentis. Qua arte usum fuisse Alexãdrũ, cognomẽto Magnũ, apud Atheniẽses legimus: qui eis penè persuaserat prospera oĩa pacificaq; futura, ut qui nullas se moliri uelle insidias persanctè iuraret. Hoc tãtum eũ malè haberet, ꝙ populus ille Atheniẽsis plus iusto credulus esset philosophorum turbæ (ut calũniosè suggerebat) otiosæ ac malè feriatæ: quos si à se abiiceret, facilè optatæ pacis fœdera assequerẽtur. Ea de re cõsultãti populo cõmodũ adfuit Demosthenes, qui ea qua maximè pollebat suadela, ꝓposito facili ac faceto quodã paradigmate, statim dimouit ab instituto: ne scilicet iniquissimis prolatis cõditionibus, cũ astutissimo principe Alexãdro fœdera pacis inirẽt. Fuit aliquãdo (inquit ille) ut cũ pastoribus lupi uelle cõuenire simulãtes, dicerẽt se nihil hostile cogitare, aut aduersus pastorũ humanitatẽ, aut etiã aduersus pecus innoxiũ, gregẽq; ouiũ mitissimũ: hoc tãtũ semper indignè tulisse, ꝙ fouẽat apud se canes, qui è lõginquo etiã prospectis lupis adlatrẽt, neq; eiulãdi finẽ faciãt, donec aut abeuntes per multa terræ iugera persequãtur: aut si queãt, uel iugulẽt, uel sæuissimè suis (nẽpe caninis) dẽtibus laceratos uix integra cute euadere sinerẽt. Si igitur cupiãt pastores pacẽ inter lupos & ouiũ gregẽ æternùm duraturã: quãtocyus curẽt latratores illos canes nedũ à se abiicere, imò uerò è uestigiò excerebrare. Hanc unã esse methodũ ad pacẽ ineundã inter lupos & ouiũ greges. Quæris exitũ? Canibus statim ex cõuento excerebratis, cæca rabie furẽtes lupi, impetu facto, suo (quẽ unũ timebãt) hoste sublato, incautũ ouiũ gregẽ inuaserũt, dispersẽrũt, fusũq;

 ac

ac fugatū deuorarunt. Quo *paradigmate cautiores ef fecti* Atheniēses, *mutata sentētia, suisq; adhærētes phi losophis, cōsultius fore existimarunt, si recta monētib⁹ sese præstarēt obediētes, quos etiam habituri essent ad repellēda infensissimi hostis machinamēta propiores.* Hæc *autē, mutato noīe, de re* Christiana *fabula narra tur.* Hoc *unū satis intelligūt pacē nunq̄ futurā suis re bus, quādiu ius fuerit ecclesiasticis ordinib⁹ tela in eos iactare cēsurarū, & ea, qua pollent, auctoritate hære ticorum cōpescere furorem, fraudesq; retegere multo uerborū lenocinio fucoq; adumbratas: atq; ob hāc unā causam eorū iudiciū oderūt cane peius & angue.* Quo *fit, ut oīa malint etiā durissimis oblata cōditionibus, q̄ ordinis ecclesiastici subire iudicium.* Neq; *enī eos latet ordinē illū abundare senioribus uiris, quibus uerba da re difficile est.* Leuiori *opera se imponere posse putant quibusdā deligēdis laicis, quibus nō uacat ꝓcedere ad interiora uelaminis, ac totius mali fontē inuestigare, fodiēdo etiā usq; ad algā.* Hinc Bucerus Ekiū *indefes sum ecclesiasticæ disciplinæ ꝓpugnatorē, aut extinctū credidit, aut certè uoluit.* Quē *cùm fato iā cessisse pu taret: inaudito sæuitiæ genere, suis maledictis, post fa ta discerpēdū posteritati traduxit.* Hi *scilicet sūt pseu deuāgelicorū mores, sic apud eos itur ad astra.* Sed *ita rē texebat* Olympus, *ut scilicet falsò inuulgatis & mor tis & maledicētiæ rumoribus, superesset* Ekius: *qui & uiuus & incolumis hæreticorū fraudes detegeret, & maledictorū repelleret fumos, telaq; retūderet in ip sos authores.* Sed *nūquid (ut* Christus *ait) colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus?* A *fructibus eorū (nē pe* Lutheranorū, Buceranorū, Melāchthonēsium, *atq;*

id genus

id genus hæreticorũ, quorũ maxima turba eſt) cogno-ſcetis eos. Expgiſcimini *itaq̃, hucq̃ præſentib⁹ animis adeſte quotquot eſtis eccleſiæ catholicæ ꝓceres, præſu lesq̃ ac doctores: procul ocia, ludicra, ſomnũ pellite.* Si *paulũ remis inſiſtitis, actũ eſt.* Iã *certè (ſi quãdo aliâs) hora eſt, niſi forſan magna ex parte præterierit, nos de ſõno ſurgere.* Alioqui *ſera erit in fundo pœnitẽtia.* Neq̃ *enim cõtingit in tã acri tãq̃ aſpero bello, quo pro aris & focis certãdũ eſt, bis peccare.* Nõ *de corpore tantũ aut rebus, uerũ de tota religiõis ſũma agitur.* Il*lud quoties mecũ cogito, ad ſatietatẽ demirari nequeo, ꝙ hæreticorũ cœtus impius, perdius & pernox inuigi-let aduerſus eccleſiaſticã quietẽ innumeris calumniis: nos uerò, quaſi in tuto agam⁹, ſecuri in utrãq̃ aurẽ dor mientes, oĩa peſſum ire ſinamus: & in tãto ruinæ peri-culo neminẽ reperias, qui ſe opponat ſepẽ pro domo* Iſ*rael.* Ego *uerò perſanctè tibi iurare auſim (ſenator am pliſſime urbis & orbis) ꝙ ſi eo zelo ad fidẽ tuendã af-ficeremur, quo illi ad eã euertendã urũtur: iãpridem è theatro exploſa foret impiæ illius factiõis calũnia.* Illi *ſpinarũ more ſeſe cõplectuntur, obuiũ quẽq̃ aut pungẽ tes, aut lacerãtes.* Nos *uerò totis (quod dicitur) agris palantes, aut bacchãtium more uagãtes, nihil interim molimur arduũ, utilẽue, aut cõmodũ: quo huiuſmodi ab impiis excitata turba, aut diſpelli poſſit, aut ſupprimi.* Eneruãdi *omninò erãt, idq̃ à multis dieb⁹ & annis re-belles hæretici, qui ſaniorib⁹ uerbis acquieſcere nolũt, eccleſiaſticæ poteſtatis gladio: quẽ eximendũ apud illu ſtris memoriæ Clementẽ ſeptimũ, uibrãdumq̃ (cõfectis in eã rem diplomatibus) diligẽtiſſimè curaſti.* Pereãt *ec cleſiæ gladio legitimo atq̃ exturbẽtur, qui ſui tãtum fu*

 roris

roris mucrone eius requiē interturbare conātur. Quos ne diutius stuporis sui gladiū Andabatarū more in tenebris uētilare sineremus, uisum est paucula quædā cōmētari de usu potestateq́; legitima utriusq́; gladij, eorumq́; errores uanissimos refutare: qui cœlū terræ miscentes, & mare cœlo, prophana scilicet sacris, & sacra prophanis, priscū Gibellinorum aut furorē aut errorē iam extinctum, pridē & sepultū, suscitādum curarunt. Id autē facile futurū cōfido gladio uerbi, sacrorum patrum sētētiis illustrato, atq; etiā perpolito, eiusq́; acie pura ac simplici ratiocinatione detersa. His enim præsidiis iampridē pullulātes, nunc uerò penè irroborati facilè supprimerentur, errores. Qua in re si quid promouerim, nō tam meū q̃ totius theologici ordinis erit iudiciū, cuius cēsuræ & examini rem omnē cōmisi. Superest, ut tua interueniente auctoritate, tuisq́; & ductu & auspiciis, labor iste noster prodeat in lucē. Cui si uel solo nutu te cōniuere sensero: etiāsi consistāt aduersum me castra, non timebit cor meum. Si cōsistat aduersum me præliū, in hoc ego sperabo. Cùm minimè dubitē, causæ huius nostræ scopum eò potissimū spectare: ut ꝓpulsatis peruicaciū hæreticorū technis, Christianæ lucis splendor illucescat: si nō omnib⁹ (sunt enim pleriq;, qui ueluti noctuæ fulgore lucis offendātur, uel liuore lippientes, uel propria philautia excæcati) his saltem proderit iste labor, qui huc æquā mentē candidumq́; pectus attulerint. Quod cœlestis potissimū numinis afflatu futurum cōfido. Cuius fauor, præsentissimumq́; subsidium, D. V. reuerendissimā ad multos, eosdemq́; fœlices, annos, sui nominis gloriæ, ac Reipub. cōmodis, nobis seruet incolumem.

INDEX COPIOSVS INSIGNIORUM LOCORUM HUIUS OPERIS ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A

Canonibus

Ecclesia

Ira op-

Præpoſitis

Suspẽsio

F I N I S.

Errata quædam sic castigato.

Pagina. 5. Linea. 6. dicatur, &c. pag. 129. linea. 30. supremus. pag. 153. linea 5. Ideoque. pag. 185. lin. 21. æstimabatur. pag. 187. lin. 12. tradideris. pag. 188. lin. 22. deuotatio. pag. 212. lin. 19. innitatur. pag. 219. lin. 7. Sed & amplius, vsque ad, Locum igitur: supprimi debet. Nam pag. 225. lin. 23. à verbo, Et quia præfatus, vsque ad, Amen. præter quatuor lineas scilicet, Sed & amplius, vsque, Et quia præfatus, verba eadem repetita inuenies. pag. 230. li. 21. potiretur. pap. 235. lin. 9. fine. pag. 260. lin. 6. insimulãdo .pag 263. lin. 21. hæc. pag. 285. lin. 25. Nã vita propria. pag. 293. li. 29. per ostium. pag. 312. li. 24. pelagus. pag. 324. li. 31. displicet. pag. 330. lin. 10. spectemus. pag. 331. lin. 23. diuinare.

Axioma catho-

LICVM DE CORPORA-

li, ſpiritualíque gladio: quomodo ille corpus afficiat, hic animum.

Tomus primus.

Decreueram equidem, atque omninò apud me cõſtitueram, ab ipſo ſtatim limine, methodum ingredi, qua quis diſcernere poſſit corporalis gladij vim & energiã, ab ea quę legitimè gladio ſpũali (ſcriptura duce ac ratiocinatiõe comite) adſcribi poſſe videtur: niſi me aliò traxiſſet, quadantenus etiam renitentem, hæreticorum veſana petulantia, qui omnem penè gladij ſpiritualis vim ac vigorem funditus euertere conantur. Ideoque altius repetendum fuit negotij huius exordium. Videndũque in primis, quibus fundamentis innitatur ille error (quibuſdam peſtilentiſſimus, cordatis verò ridiculus potius quàm noxius) quo aſſeritur omnẽ vim legis coerciuæ, longè abeſſe à hierarchico principatu, eccleſiaſticáve præfectura. In hoc enim ſtudium

omne ſuum intēdunt hæretici, vt iugum à ſe eccleſiaſticæ cenſuræ prorſus abiiciant, quò licentius eis in omne nephas per omnes rebellionis gradus, obrepere primùm liceat, tādemque bacchantium more in omne ſcelus præcipitari, & excuſſo diſciplinæ iugo, pro ſuo arbitrio licenter laſciuire. Quod vt expeditius aſſequi poſſint: methodum quādam adinuenêre, qua principum ſibi fauorem propenſius conciliarent. Id quod factu facile ſuſpicati ſunt, ſi iuriſdictione ab eccleſiaſticis adempta, omnem quę ad cauſas terminandas pertinet iuridicam coertionem, à ſacro ad prophanum tribunal transferēdam eſſe perſuaderent. Quod quidem his gradibus aſſequi contendunt: Primùm id ſatagentes, impenſiuſque curantes, vt omnem à Petro eiuſq; ſucceſſorib⁹, aut clam ſurripiant, aut fraude ſupprimant, aut vi aperta adimant primatum. Deinde vt omnibus luſtrico fonte renatis, ſacerdotiū & clauium ex æquo poteſtatē, fucatis quibuſdam cauillis, vafrè ac fraudulenter aſſerant. Tandemque eò perueniant: vt rem principum ſecularium locupletiorem reddant, ex præda ab eccleſiaſtico tribunali abacta, & in prophanum relata tribunal. Facile ſibi perſuadentes pleroſque minimè defuturos aut principes, aut principum laterones, ad huiuſmodi captandam prædam (vti ad cadauer vultures eſcarum nidore allectos) promptiſſimè conuolaturos: ſicque breui futurum ſperant, vt inſtar Aioth vtraque manu pro dextra vti poſſint. Nos verò cōtrà, de diuina clemētia bene ſperātes, numen affuturum ſperamus, quo leui manu impij huiuſmodi conatus euaneſcāt: quoque inimici domini mox vt eleuati exaltatique fuerint,

rint, deficientes quemadmodum fumus deficiant. Verùm ne lōgius digrediamur, impias eorum fraudes conatusque inanes detegere operæpretium est. Primùm igitur fundamentum diruere moliētes, negant Petrū fuisse petram illam, de qua scriptum sit: Super hanc petrā ædificabo ecclesiam meā. Idque ex Augustino & aliis authoribus nōnullis, pseudographè tamē, in suā rem assertis, persuadere nituntur, sed vano irritoq; labore: quum Augustinus ipse ingenuè profiteatur, etiā de ipso Petro intelligi posse: Super hanc petrā ædificabo ecclesiā meam. Id enim apertissimè testatur libro Retractationum hac planè textura verborum: Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quòd in illo tanquā in petra ædificata est ecclesia: sed scio me postea de petra Christo exposuisse. Harum autem duarum sentētiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Hæc ille.

Vides, vt censore Augustino, liberum sit cuiuis orthodoxo asseuerare supra petram Petrum structuram ecclesiæ à Christo fuisse constitutam, etiam si aliâs diuersum, nil tamē aduersum, pronunciarit. Quod igitur incolumi fide piè asseritur, nemo nisi impiè ac peruicaciter tanquam minus catholicum refutare potest, ac nec ipse quidem Augustinus, sicubi forsan diuersum aliquid scripsisse videretur: cùm omnia ad edictum istud nouissimum, tanquam ad lapidem lydium, quo verū ab adulterino discernitur aurum, referenda veniant. Vt interim omittā verborū consequentiā (videlicet Aedificabo ecclesiam meam) maximè à parte Petri stare, vt scilicet petræ nomen illi tribuatur: (qua de re infrà copiosius) nūc enumerare libet authorum placita primæ

etiam classis, quibus hæc sententia apertissimè confirmatur, quòd petræ nomie Petrus intelligeretur, cùm Christus diceret: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Hæc siquidem interpretatio robur accipit ex Ambrosij in Lucam oraculo lib. 4. cap. 8. Petrus, inquit ille, petra dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamentũ posuerit, & tãquam saxum immobile totius operis Christiani cõpagem, molemq́; contineat. Consentit & Origenes homilia quinta: Vide, inquit, magno ecclesiæ fundamento & petrę solidissimæ, super quam fundauit dominus ecclesiam, quid dicatur à domino: Modice fidei quare dubitasti? Ideoq́ue ad crucis supplicium properantem Petrum his verbis à Paulo salutatum veterum monumentis proditum est: Pax tecum fundamẽtum ecclesiarũ, pastor ouium & agnorũ Christi. Qui vicissim à Petro mutuam recipit salutationẽ in hęc verba: Vade in pace prædicator gentiũ, mediator & dux salutis iustorũ. Et in Matthæum Hieronymus idipsum palam affirmat ita inquiens: Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen: ac secundum metaphoram Petræ, rectè dicitur ei: Aedificabo ecclesiã meã super te. Neq; id diffitetur Basilius aduersus Eunomiũ lib. 2. Petrus, inquit, quoniã fide præstabat, ecclesiæ in seipso ædificationem suscepit. Multus est in ea sentẽtia cõfirmãda Cyprianus, in epistola ad Quintinũ: Nec Petrus, inquit, quem primũ elegit dominus, super quem ædificauit ecclesiam suam, quum Paulus cum eo disceptaret, se vindicauit. Hæc ille. Nihil discrepans à Tertulliano, quem sæpe magistri dignabatur honore. hic enim in Præscriptionibus hæreticorum,

ticorum,Petrū ædificandæ ecclesiæ petram nō ob-
scurè profitetur, claues quoq; regni cœlorum asse-
quutum . De Hilario quid dicam ? qui non sine ex-
clamatione miratur tantā in Petro gloriam,vt fœlix
ecclesię fundamentū, dignaq́; ædificatione petra di
catur.Et cœlestis ianitor aulę.Leonis pōtificis ver-
ba quis ignorat sub Christi nomine ita dicētis?Ego
sum lapis angularis,qui facio vtraq; vnum: ego fun
damentum,præter quod nemo aliud ponere potest:
tu quoq; petra es,qui mea virtute solidaris: vt quæ
mihi sunt propria,tibi sint mecū participatione cō-
munia. Accedat ad hæc tā multa diui Gregorij as-
sertio,lib.epist.6.ad Eulogium:Quis nesciat sanctā
ecclesiam in Apostolorum principis soliditate fir-
matam,qui firmitatem traxit in nomine,vt Petrus à
petra vocaretur ? Ab his neq; ad latum quidem vn-
guem distare Chrysostomum ex variis locis cōstat,
vti in sequentibus declarabitur : qui & ipse homi-
lia.55.in Matthæum sic ait : Tu es Petrus,& super te
ædificabo ecclesiam meā.Non defuere tamē, qui di
cerent diuersum omnino sensisse Chrysostomū , lo-
cum citantes ex quodam eius sermone de Penteco-
ste in hæc verba : Super hanc petrā,inquit,non su-
per hunc Petrum.Non enim super hominē , sed su-
per fidē ædificauit ecclesiā suā. Hæc autē inficia-
toria quantū absit à vero:ex nuperrimè dictis appa
ret, liquidiusq́; cōstabit ex dicēdis . Quin & ipsam
homiliā nūquā ex officina Chrysostomi prodiisse,
vel ex hoc vno facilè cōstare faciam: quòd author
ille homiliæ nuper citatę Theodosij iunioris reli-
gionem,cum senioris pietate conferens, nec paucis
nec leuibus titulis commendat. Porrò ratio tempo-

rum minimè patitur Chrysostomum Theodosio iuniori imperanti fuisse contemporaneum: vt qui imperio inauguratus sit sub annū à parta salute. 426. vno plus minus anno. Atqui constat ex Socrate in tripartita cap.35. euolasse ad superos Chrysostomum sub Arcadio, accedente anno domini. 411. Qua de re plura in Sosomeno & Socrate. 18. cap. eiusdem tripartitæ. Quin & phrasis illa humi repens alium à Chrysostomo prodit authorem. Sed nec credibile est Chrysostomū in re tam seria vsq; adeò sui fuisse oblitum, vt aduersas nedum diuersas de eadem re sentētias protulerit. Sed quid in his tātoperè laboramus? cùm nemo ignoret (etiam si de nomine petræ minimè constaret) Petrum à Christo vnum super cæteros designatum fuisse pastorem. Neque enim fieri potest, vt oues sub eo constitutæ, æqua cum suo pastore potestate concurrāt: ita referente Nazianzeno in oratione de modestia ad hunc modum disserente: Ordo in ecclesia ita statuit, vt alij sint oues, alij verò pastores: ita vt hi imperent, illi verò obediant: sitq; homo tanquam caput, illud pedes: istud manus, hoc oculi: illud verò aliud corporis membrum, quo omnia rectè inter se conueniant, commodumq; tam ad præfectos, quàm ad subditos redundet. & quemadmodum in corporibus membra nequaquam à se dissident, sed cūcta corpus vnum ex diuersis sunt composita. Nec idem omnium est officium ac vsus, ad mutuam necessitatis beneuolentiam. Neque oculus graditur, sed ducit: quemadmodum nec pes cernit, sed vadit. Nec lingua excipit voces, id enim ad auditū pertinet: sicut nec auditus loquitur, nam linguæ id officium:

officiũ:nasusverò odoris est instrumentũ.at guttur cibũ gustat, inquit Iob:manus autem dãdi & accipiẽdi est instrumentũ:mens verò cũctis hominibus dux est, penes quã & sentire,ac inquã est sensus: ita & apud nos,qui cõmune corpus Christi sumus:oẽs enim corpus vnũ in Christo.Hæc ille. Ex quo apertè vides nõ omnes ex institutiõe diuina ex æquo concurrere ad regimen ecclesiasticum.Proinde videant talpa cæciores hæretici, qui aiunt æquam in ministerio verbi omnes à deo accepisse potestatẽ. Quum idem Nazianzenus hunc errorem confutando ita differat:Magnum(inquit)est docere, verum discere periculo caret. cur teipsum facis pastorem, quum sis ouis?cur caput esse contendis, cũ pes existas? cur exercitum ducere quęris, cũ inter milites adhuc censearis? Cur magnũ, sed neutiquã tutum,lucrũ maris sectaris, cum sine periculo terram colere possis? Sane si vir es secundum Christum,sensusq́ue habeas exercitatos, tibiq́ue lumen splendeat cognitionis: loquere sapientiam, quæ profertur inter perfectos, necnon absconditam in mysterio,& illam,cùm tempus ceperis, & tibi concredita fuerit.Quid enĩ apud teipsum habes,quod tibi datum non sit,aut quod nequaquam acceperis? Si verò adhuc paruulus es,& humi reptans intellectu,nec sufficiẽs vt cum sublimioribus progrediaris:fias Corinthius, lac te alat.cur cibũ quæris solidiorem, quem membra non cõcoquunt, ac nutrimentum faciant per imbecillitatem?Loquitor quidem,si quid melius habes, quàm quod taceatur. siquidem ordinem labiis ornare, opus esse laudabile nosti: vbi verò silentium melius est sermone, ibi

quietem dilige. Decet enim quædam dicere, alia audire, nonnulla laudare, aliqua verò amarulenter reiicere. Hęc ille. Facessat igitur vox ista schismatica, & ab vno zizaniæ satore diabolo haud dubiè procedens, qua omnibus Christiano fonte lustratis falsò tribuitur æqua potestas: cũ nihil aliud quàm seditionem spiret, & licentiam potius antichristianam, quàm Christianæ libertatis decorem & ordinem: cùm ex potestate ligandi atque soluendi specialiter tradita Petro, & functione etiam pastorali illi vnicè concessa, non obscurè videant penes vnũ aliquem consistere statuendæ legis legitimam potestatem, quæ in præsens & in posterum vtilis futura sit & commoda. Qui si quid mentis haberent osores ipsi veritatis, facilè intelligerent penes quẽuis populum tantum inesse potestatis, vt sibi legem statuere possit, quæ obliget singulos. Quòd si huiusmodi potestas tandem deuoluatur in aliquem, qui iure multitudini præfectus sit: quis iam negabit ad eum deuolutum esse ius legis statuendæ? Atqui Petr⁹ & eius successores à domino instituti sunt animarum rectores: possunt igitur legem statuere, quæ ipsas liget animas: quibus instituendis iure diuino præfecti sunt, & arctiore quidem maioreq́ue authoritate, quàm si à populo ad huiusmodi primatum delecti forent ac designati: quo scilicet potior est & præstãtior diuina institutio, q̃ popularis aut quæuis humana. Nã si filij Israel, cũ deesset illis magistrat⁹, legẽ sibi dicere potuerint obligãtẽ, vt omnes vnanimi cõsensu bellũ inirẽt aduersus filios Beniamin, Iudicum. 19. cur non à deo quoque institutus, vt ecclesiæ præsit, pontifex, in hoc scilicet vt

cet vt deſtruat,ædificet, euellat & plantet, poterit diuina authoritate fretus ſtatuere legem, quæ etiā ſubditos obliget, non tam pro parte craſſa corporis, quàm pro ſpirituali animæ, cui dirigēdæ præficitur? Sunt tamen qui contrà ſentiant, aut ſentire ſe ſimulant, priuatis magis affectibus, aut captandæ ſuorum principū gratiæ potius, quàm veritati ſeruientes. Inter quos non infimum locum tenet nebulo quidam anonymus ac peſtilentiſſimus, ſyncerę apud Anglos fidei obſcurator & euerſor: qui vt ſecularem ſuis commentis tyrannidem locupletet, omnem ſtatuendæ legis authoritatem ab eccleſia adimere contendit. Cuius vt nomen, ita & opus perpetuis tenebris obſitum delitеſcere congruebat. Qui quoniam propriæ conſcientiæ ſtimulis agitatus, ſuum nomen ſubticuit: qua eum nota deſignare poſſim, non facilè aſſequor, niſi tenebrionis ac nebulonis obſcuriſſimi titulum ei indidero. Quem ſi quis veris coloribus depingere conetur: vix aptius propoſitum aſſequi poſſit atque commodius, quàm ſi contrariis eum titulis depingat, & omnino aduerſis his, quibus ſuā impietatem tegere conatur. Vbi enim pius videri vult, ibi ſummopere deprehenditur impius: vbi verax, ibi cōmentitius: vbi ſimplex, ibi doloſus, vaferq́ue, ac ſubdolus: vbi antiquarius, & grauis, ac ſyncerus: ibi nouator vaniſſimus ac illecebroſus. Qui veriora veris in ſe protuliſſet, ſi de ſe hoc ſentiret quod ait: nunquam tranſiturum in rem iudicatam, quod ipſe in veritatem machinari moliriq́ue auſus eſt. Cuius tuendæ patrocinium dū ſibi impudenter aſſerit, eius ſe ex profeſſo hoſtem ac perduellionis reum palam oſtendit: qui totus in hoc eſt,

hoc eſt, vt eccleſiaſticæ poteſtatis nitorem obſcuret, eamq́ue in caſtra transferat iuriſdictionis laicæ. Interim tamen aſſerere audet(quamuis impudentiſſimè)nihil ſe aſſerturum,quod non ex certiſſima ſacræ ſcripturæ demonſtratione hauſerit. Primùm enim quis aut dixit,aut cogitauit vnquam, pōtificem non debere dici miniſtrum verbi, ſeruum Chriſti,vicarium dei? aut illi tātum tribuere auſus ſit dominij,vt quicquid libet,liceat?quod nobis falſò imputat. Deinde vt ad rem propius accedamus: illud eum malè habet, quòd pontifici tribuatur authoritas legis condendæ,firmandorumq́ue ſtatutorum. Quod tā verum eſt ac certum, vt vix aliquid certius dici poſſit, aut verius. Quid autem piaculi fuerit dicere pontificem præeſſe cauſæ, in qua de peccato agitur? Nemo veræ pietatis cultor diuinare poſſit. Iam quòd odioſe traducit pontificem, vel ob id vnum, quòd principes de gradu pellere aliquando attentauerit: quid niſi meram olet calūniam? Neque enim id attentaſſe legitur, niſi cùm de intruſione manifeſta conſtaret, vt in Ludouico Bauaro:aut cùm plebs regniq́ue proceres diuturnæ tyrannidis aut ignauiæ impatientes, ſummi pontificis fauorem iudiciumq́ue implorarent. Dum autem ait pontificem gloriari, quòd viuos in orcum deiicere poſſit: nihil aliud quàm ſe ſchiſmaticum prodit & trāsfugam ſub eorum ſignis militantem, nempe Chorę,Dathan & Abiron:qui deſcenderūt in infernum viuentes. Denique pluſquā omnia mētitur,qui falſò adſcribit pontifici:quòd dicat pluſquàm omnia ſe facere poſſe. Et cùm hæc tam putida prodat: perſanctè pollicetur ſe omnia ad ſcri-

pturæ

pturæ amuſſim ingenuè & ſyncerè examinaturum, quod tum demum præſtare poterit, cùm Græcæ illi adfulſerint Calendæ.

Pernegat imprimis ſuper Petrum ædificatã eſſe eccleſiam iuxta Chriſti oraculum, Matthęi. 16. cùm tamen ſatis conſtet ex verbo (ædificabo) eccleſiam fore ædificandam ſuper Petrum. Iam enim ſuper Chriſtum fuerat ædificata, cùm ipſe eſſet agnus occiſus ab origine mundi. Pariq́ue ratione ſuper fidẽ aut fidei confeſſionem, quæ longè ante pręceſſerat, ſtructura eccleſiæ ædificata fuerat. Reſtabat igitur, vt ſi aliquo modo ædificanda foret, & aliquo genere ſtructuræ ſtatuenda: vt ſuper Petrum eiuſq́ue ſucceſſores ædificaretur. Nam quòd ſui oblitus ait impoſtor ille anonymus, nomine Petri hoc loco nihil aliud intelligi quàm eccleſiam: non ſatis intelligit quid dicat. Perinde enim eſt, ac ſi aliquis dixerit: Super hanc petram, quæ eſt eccleſia, ædificabo eccleſiam meã: hoc eſt, ſuper eccleſiã ædificabo eccleſiam. Quo commento quid ſtupidius? Et tamen mirè ſibi placet, dũ iſthæc effingit. Non ergo hoc loco de petra Chriſto intelligi dominus voluit quod ait: Super hãc petram ædificabo eccleſiam meam. Iam enim ædificata erat ſuper ſe Chriſtum. Sed nec ſuper fidem, quæ præceſſerat: min⁹ ſuper eccleſiam. nihil enim ædificatur ſuper ſeipſum. Reſtat igitur, vt dicamus gen⁹ hoc ædificationis futuræ in Petrum & eius ſucceſſores referendum.

Sed eccleſia (inquit ille) ſponſa vnum Chriſtum dominum agnoſcit: adeoq́ue libera eſt, vt iam non ſit ſub lege, ſed ſub gratia: ideo nullã recipit coertionem

tionem pœnæ imponendæ, vt cui vna dilectio sufficiat. Sed non videt præposterus ille censor ex hoc statim colligi posse, ecclesiam nō debere agnoscere legis ciuilis aut on⁹, aut terrorem, si ab omni pœna & lege libera esse debeat. Sicque ex vno errore statim labitur in alium: dumque minus effugere tētat, incidit in grauius. Imò ad Petrum vnicè ac specialiter hæc verba referri ex multis argumentis apparet. Solum enim Petrū hanc laudem promeruisse constat ex eo quod dicitur: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Solus ergo Petrus præmium istud merebatur. Non nego quin ad vtilitatem ecclesiæ hunc receperit magistratum, ita tamen vt in Petro resideat hęc potestas præcipuè ac præcellenter, non in cæteris ex æquo: aliâs nulla esset promissio specialis facta Petro suo speciali merito correspondens, quin & illius potestatis nullus esset vsus. Exigebat igitur speciale Petri meritū speciale super cæteros præmium. Ideoque subiungitur: Et ego nūc dico tibi, potius quàm cæteris: quia tu es Petrus, id quod cæteris non ita conuenit: & super hanc petram ædificabo ecclesiā, quæ iam pridem super me ædificata est: & tibi, nō dico cæteris ex æquo, sed specialiter tibi dabo claues regni cœlorum, dum scilicet te vnum mihi vicarium constituam super cæteros. Siquidem ad vnum Petrum hæc verba referuntur: Si diligis me plus his, pasce oues meas. Neque enim fieri potest, vt alteri quàm Petro conueniant hæc verba: Simon Iohannis diligis me plus his? Nemo enim interrogaret, an Petrus diligeret plus quàm cæteri, & cæteri plusquàm Petrus: vni igitur Petro hæc competunt.

tũt.Quo fit,vt id quod ſequitur, ſoli Petro tribuẽdum ſit:Paſce oues meas. Vt cæteri nomine ouium cenſeantur,Petrus verò paſtoris perſonam præ cæteris induerit. Sicq́ue affabrè omnia conueniunt, ꝙ ſcilicet Petrus ſpeciali & excellẽti modo, ſub Chriſto tamen, & fundamenti & paſtoris & clauigeri præfecturam perſonamq́ue induerit.

Sed calcitrat obtuſæ & excęcatæ mentis aſellus, dicens huic intelligentiæ obſtare verba ſequentia, dicente domino: Portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam, referendo ſcilicet ad petram Petrum. quaſi verò ignoret, id quod omnes ſciunt, relatiuũ eam referri ad eccleſiã:quæ vna Chriſti ſponſa infallibilis eſt in fide & moribus.In hũc enim ſenſum omnes vno ore conſentiunt. Et in hoc ſunt verba Chryſoſtomi in Matthęum homilia quinquageſimaquinta dicentis: Portę inferi nõ pręualebũt aduerſus eam.Si verò aduerſus eccleſiam non pręualebunt,multo minus aduerſus me pręualebunt. Vides ergo vocabulum (eam) eſſe relatiuum eccleſię. Quòd autem cętera ſoli Petro conueniant, idem Chryſoſtomus author eſt, dum ait: Tibi dabo, inquit: ac ſi diceret, Quemadmodum tibi pater dedit, vt me agnoſceres, ita & ego tibi dabo. Quid das,quęſo?Claues(inquit)regni cœlorum.Nec multò poſt ait: Solus deus concedere poteſt peccatorũ remiſſionem, vt futura eccleſia immobilis maneat, cuius paſtor & caput piſcator homo atque ignobilis eſſet. Moxq́ue ſequitur: Hunc (ſcilicet Petrum) vniuerſo terrarum orbi Chriſtus prępoſuit. Et paulò mox: Tu verò mecum ex his omnibus, quanta ſit poteſtas eius, intellige. Quòd ergo dicit dominus,

Aedificabo ecclesiam: huc spectare videtur, quòd aliter ędificaturus sit ecclesiā super Petrum, quàm Synagogam constituisset super Moysem, aut eius cathedrā. Synagoga enim de gradu cecidit, id quod nunquam ecclesię accessurum est, de qua scriptum legitur: Ego vobiscum sum vsque ad cōsummationē sęculi. Eat nunc impostor anonymus, & suos fumos aliis offundat, negans hæc verba ad Petri primatum referri: cùm hunc primatum apertissimis verbis, veloq́; (vt dicitur) leuato, comprobarint Cyprianus ad Pupianum lib. epistolarū. 4. & ad Cornelium. 1. Idem de simplicitate prelatorum. Origenes homilia sexta, & Hieronym⁹ super Matthæum 16. Idemq́; aduersus Pelagianos lib. 1. & in sermone de Petro ad Eustochiū. Sermone pręterea. 47. Ambrosius, & de pœnitentia, & fide Petri. Contra Donatum Augustinus, & in quæstionibus noui & veteris testamenti, quæstione. 75. Chrysostomus & Hilarius in Matthæum. Leo papa sermone tertio suæ assumptionis ad pontificatum, & in ascensione domini. Gregorius in moralibus, & regesto. Idemq́; in homilia super Matthæum. Quibus testes accedunt locupletissimi Bernardus & Beda plerisq́; in locis. Athanasius quoque in epistolis ad Marcum, Liberium, & Felicem. Dionysius in diuinis nominibus cap. tertio. Eusebius in historia libri secundi cap. 14. Et libro septimo Lactātius. Et ad Vrbanum papam Anselmus. Accedunt & imperatores Valentinianus, Martianus, Phocas, Iustinianus sub titulo, de summa Trinitate & fide catholica. Denique quis non? Qua igitur fronte impudentissimus iste impostor arrodere audet, quem deuorare non potest, Petri,

teſt, Petri, qui omnibus in confeſſo eſt, primatum? Aut quæ eſt iſta omnib⁹ antea ſæculis inaudita temeritas, vt omnes ſanctos martyrio coronatos pōtifices orci familiæ adſcribere audeat veluti vſurpatores, vt qui ſe intruſerint in præfecturam vniuerſalis eccleſiæ, quam nec Petro nec eius ſucceſſoribus dominus cōtuliſſet? Mirum certè eſt, quòd ſolis debeatur obedientia principibus: cùm tamen dominus conſtituerit paſtores, qui præeſſe debeāt ſuis ouibus. Quorſum illis præfectura, ſi nō eſt, qui illis obedire teneatur? Si igitur paſtor eſt, oportet eſſe qui obediat: & hinc conſequens eſt, vt non deſit, qui iure præcipere poſſit. Hæc igitur non cohærent, quòd ſit aliquis paſtor, qui ius nec dicere, nec aliquid pręcipere queat. Principes volūt, vt ſuis magiſtratibus plebs obtemperet: & Chriſtus non habebit delectos paſtores, quibus obtemperandum ſit? qui tamen ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Coertio igitur erit penes prophanos ad ſuarum legum maieſtatē tuendam, & non penes ſacros magiſtratus. Id nemo, niſi qui deſipit, aſſerat vnquam: niſi deſipuiſſe diuum Ignatium dixeris, qui Magneſianos iubet obedire epiſcopo, & in nullo ei contradicere. Hic enim ait: Non ab homine, ſed à deo habet promotionem, de qua ad Samuelem dictum eſt: Non te contēpſerūt, ſed me, ne regnē ſuper eos. Hæc Ignatius.

In hanc ſententiam penitus conſpiraſſe non Latinos tantùm, verùm etiam & Græcorum ſaniorem partem vnus Euthymius teſtis ipſe locupletiſſimus nec vno tantùm loco perſpicuè docet. Primumq́ in Matthæum decimoſexto ſecundum hæc verba referens:

referens:Solus autem Petrus verè Christum & natura & propriè filium dei hūc esse intellexit. Ideoque volens Christus discipulis demonstrare, quòd solus hic rectè cognouerit, & confessus sit: ipsum beatificat. Caro, inquit, & sanguis, hoc est homo, non initiauit te,sed pater meus. Neque his contentus,subiungit: Tu es Petrus, post abnegationem fidei petra futurus:& super te ponam fundamentum credentium. Ecclesia enim fideles sunt. Quòd hic dicit,post abnegationē petra futurus: hoc vno verbo elidit futilem nostri impostoris obiectionem: qui vt spoliet Petrū suo primatu, negat ad eū spectare verba Christi, aduersus quem portæ inferi præualuerint. Præualuerunt quidem, sed non post Christi resurrectionem, quo tempore fundata est ecclesia super Petrum. Nec deest alia responsio, quòd relatiuum illud, eam: ecclesiam respicit, nō Petrum,aut eius successores,cùm dicitur: Portę inferi non pręualebunt aduersus eam. Ecce apertissimè constat ex his, ecclesiam ex verbo Christi ædificandam super Petrum,quæ iam ædificata erat super Christum. Nec his contentus pergit Euthymius,eandem repetens sententiam: Aedificabo super te ecclesiam meam,& dabo tibi claues regni cœlolorum &c. Quin & idem author Petrum principem Apostolorum vocat, dicens: Matthæus diligentiæ gratia hæc omnia conscripsit, pariter etiam Apostolorum principem honorans.

Ab his nec vno quidem elemento dissidet Theophylactus: Remunerat,inquit,Petrū dominus, mercedem illi dans magnam,quòd super eum ædificaret ecclesiam. ædificaret inquam,non tunc, sed posteaquàm

ſteaquàm foret in fide confirmatus. Non ergo iſtud reſpicit ſingulos, quorum nullus eſt in fide confirmatus, ſed Petrum repræſentantem vniuerſos. Sed & eccleſiæ iuriſdictionem in Petro ſpecialiter fundatam perſpicuè oſtendunt verba Theophylacti. Dabo (inquit) tibi. Sicut enim pater dedit tibi reuelationem: ſic ego claues, & hoc quidem ſpecialiter. Claues autem intelligas, quæ ligant & ſoluunt, hoc eſt delictorum vel indulgentias, vel pœnas. Poterit ergo Petrus leges inſtituere pœnales ad delicta compeſcenda. Non negauerim tamen cæteros clauium poteſtatem recepiſſe, non tamen ex æquo, ſed ſub Petro tanquam paſtore primario: qui paſtor deſignatus eſt ſuper cæteras oues. Neque aliud eſt condonare iuxta Euthymium, quàm à pœna legis ſoluere. Non condonare autem, quid aliud eſt, quàm nocentem legis vinculo obſtrictum declarare? Ius autem legis ſtatuendæ apertiſſimè declaratur eiuſdem Euthymij verbis in Matthæum decimooctauo cap. de præſidibus eccleſiæ ita loquentis: Quicquid vos in terra cenſueritis, nimirum lege conſtituta aut ſententia decreueritis (In quibus verbis iudicis tribunal agnoſce) hoc deus in cœlo ratum habebit. Si igitur cœlo probētur ea, de quibus conſenſerint fideles in terra: quomodo nō probabitur iuriſdictio eccleſiaſtica, & legum condendarum authoritas, in quam conſenſerunt & priſci & recentiores eccleſiæ proceres? cùm ſcriptum ſit: De omni re quam petierint, fiet illis à patre meo? Quòd ſi (inquit Euthymius) duo concorditer petentes à deo de qualicunque re exaudientur, multo magis plures. Eſt igitur facultas iuris dicēdi penes

ecclesiam,eiúsque proceres,deo approbante, ipsáque ecclesia publicè consentiente ac requirente, stabilita. Absit igitur, vt Lutheranorum vnus aut alter adimere possit ecclesiasticæ iurisdictionis beneficium,cœlo annuente, & ecclesia consentiente, concessum. Non enim hic agitur de vinculo conscientiæ secretissimæ aut tollendo aut stringendo, cùm ad id non adhibeantur duo vel tres: verùm de iurisdictione publica intelligendum est, ad quam plures admittendi sunt, vt lex scilicet promulgata obliget,quamuis sententia possit proferri per vnũ, modo ille secundum legem iudicet. Tunc enim vice fungitur ecclesiæ legem statuentis,& constitutã approbantis.

Mirabere (sat scio) pie lector, in hæreticis istis incredibilem mentis stuporem: vbi primùm ea,quę in nos contorquent,argutiarum tela à parte nostra stare liquidò deprehenderis. Fumum enim nobis offundere moliuntur ex Paulo, qui ait arma nostra non esse corporalia, sed potentia deo. Qua sententia nihil verius, sed neque in rem nostram accommodatius dici potest: quandoquidem censuræ ecclesiasticæ virtutem à deo potius, quàm à potestate humana obtinent. Quin & pœnæ aduersus rebelles decretæ ad peccata coercenda, nihil nisi finem spiritualem habent pro scopo. Sunt igitur huiusmodi decreta spiritualia magis quàm carnalia, etiam si forensi iurisdictione tractentur, cùm vnaquæque res à suo fine nomen accipiat. Nec minus præpostere colligunt forensium causarum exilium ab ecclesiæ tribunali ex Paulo in Corinthiis priore, sexto, dum ait: Audet aliquis vestrum habens

negocium

negocium aduersus alterum, iudicari apud iniquos,& non apud sanctos? Ex quo promptissimum est colligere, iubere Paulum, vt si (quod quandoque fit) controuersia oriatur, ipsam terminari potius apud sanctos Christianis scilicet decretis ac constitutionibus, quàm apud Ethnicos legibus Cęsareis, quæ nonnunquam iuri diuino aduersantur. Atqui sacerdotis officium est ius diuinum interpretari, & iuxta illius præscriptum leges decretaque constituere. Imò amplius viam nobis sternit diuus Paulus perpetuæ exemptionis ab onere fori laici in causis præsertim ecclesiasticis. Cùm enim vetat iudicari, hoc est causam dicere, apud Ethnicos: eximit igitur sanctos à iudicio legis Cæsareæ. A qua si iure diuino exempti sunt: restat, vt à principum iudicio quatenus iuri Cæsareo succedunt, sint exempti. Neque enim reuocata est exemptio, neque adaucta principum authoritas, post ædita verba Pauli in fauorem huiusmodi exēptionis prolata. Restat igitur, vt negocia tractari debeant sub alio iudice, quàm Cæsareo. Nullus autem alius fingi potest quàm ecclesiasticus. Vides ex his, vt andabatarum more gladium in tenebris ventilet Lutherana cæcutientia. Tantum enim abest, vt iurisdictionem arceat à Christianis, quos sanctos appellat: vt eam potius ad eos referendam putet, de quibus ait: Nescitis, quoniam angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia, seu (si mauis) biotica, hoc est ad victum pertinentia? Illud tamen adiungens: Si res vrgeat, iudiciis præficiendos esse minores & abiectiores. Non igitur tollit iurisdictionem ab ecclesia, qui suadet, vt minores à maioribus iudices

constituantur. Id quod vsu venire solet, dum prælati in causis terminandis iudices substituunt. Non arcet ergo, qui se mirari dicit, si nulli omnino adsit sapiens, qui iudicare possit inter fratres. Nec iudicia damnat, qui ad delictum refert, non ipsum iudicis officium, sed iniuriam, damnum & fraudem, quam alter alteri molitur & parat. Quòd si iudicium permittit pro dirimendis litibus, sedandaque iniuria: quomodo non permittet iudicia ad coercendos pœnis rebelles, & schismata de ecclesia tollenda, tumultúsque sedandos, qui circa fidem & mores oboriri solent? Cuiusmodi iurisdictio maximè pertinet ad pastoris officium, vt scilicet cognoscat de controuersiis in causa peccati. Eo autem respexit cap. Nouit. de iudiciis. Sed, inquiunt, arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Id ego verissimum esse profiteor, cùm carnalia arma Paulus appellet mundanam gloriam, rhetorum eloquentiam, humanásque philosophorum rationes (Ita enim interpretantur insigniores scripturæ interpretes) à quibus abstinendum esse ingenuè profiteor: ita tamen, vt Paulus ipse ecclesiæ tribuat arma potentia deo: vt est potestas ligandi & soluendi: vt sunt claues regni cœlorum, nempe facultas cognoscendi de causa, & potestas iudicandi in his, quæ spectant ad animarum salutem: quibus nonnunquam deus ipse suam interponit virtutem, id attestante Rabano: Claues regni cœlorum ipsam discretionem & potentiam nominat: potentiam, qua liget & soluat: discretionem, qua dignos vel indignos discernat. Ideóque appellantur arma potentia deo, hoc est per dei gratiam efficacia ac

ualida ad euertendam ſcilicet peruicaciam, ac rebellionem extollentem ſe aduerſus ſcientiam dei: quæ potentia exercetur, dum aut hæretici coercētur, aut ſchiſmatici. His etiam armis accinctum eſſe oportet prælatum, vt cum Paulo in promptu habeat omnem vlciſci inobedientiam: vt ſcilicet oculos, quos culpa claudit, pœna aperiat. Carnalia itaque arma dicuntur, quæ ad finem ſpectant carnaliū deſideriorum, gloriæ ſcilicet, cupiditatis & vindictæ. Iudicia verò, quibus humana coercetur audacia, aut cauſæ fidei terminantur aut morum: ſpiritualia ſunt, non carnalia. Qua de re Theophylactus: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, hoc eſt, non opes præferunt, non gloriam, non ſermonis lenocinia. Per arma autem ſpiritualia, eodem authore, captiuncularum tumor proſternitur: animi eorum deiiciuntur, qui variis detinentur erroribꝰ: quin & ita veritati ſubiiciuntur, vt cogantur etiam errantes in verba iurare fidei, ſuumq́; intellectum in captiuitatem redigere in obſequium Chriſti. Ea autem eſſe coerciua docet Theophylactus his verbis: In promptu (inquit) habemus ſupplicia, quæ his ſcilicet pſeudoapoſtolis, vobis inter eos verſantibus, prohibemus inferre: ne vos corripiat illata plaga. Hic nihil videre poſſum, in quo ſupprimatur iuriſdictio eccleſiaſtica: imò verius formula quædam indicatur, qua peccata coerceri poſſint pœnarum, ſi opus eſt, inflictione: cognitione tamen præuia. Quod non obſcurè teſtatur Paulus Timotheum inſtituens his verbis: Aduerſus presbyterū accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus: & ſine præiudicio nihil faciens in al-

b iij teram

teram partem declinando, vt ſcilicet (Chryſoſtomo interprete) pro nullo ante iudicium ſententiam feras. priore ad Timotheum quinto. Non igitur vetat ius dicere, qui formulam ſuggerit exercēdis iudiciis. Neq; id ſubticet Theophylactus. ita enim legit: Nihil agēs per aduocationem, hoc eſt vt æquū te præbeas litigantibus: ne fiat præiudicium, id eſt ne quis anticipando te circunueniat, vt ſecundum ſe, vel ante iudicium ſentētiam feras. Agnoſcit etiam in ſeipſo Paulus iudiciariam poteſtatē in Corinthiis ſecundæ decimotertio primùm ita præfatus: Ecce tertio hoc venio ad vos, in ore duorū vel trium ſtabit omne verbum. Prædixi enim, & prædico vt præſens, & nunc abſens: quoniam ſi venero iterum, non parcam. Hic apertè vides poteſtatem coerciuam. Non parcam (inquit) ſed puniam. Nec his contentus, adiungit: Non poſſumus aliquid aduerſus veritatem vti ſi diceret: Non poſſumus non caſtigare, alioqui aduerſus veritatem & iuſtitiam facerem⁹. Veritati enim aduerſatur, qui parcit delinquenti. Et rurſum: Scribo, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi dominus in ædificationem, & non in deſtructionem.

Hic etiam audiendus erit Primaſius, qui in locū epiſtolæ ad Timotheū ſic ait: Iniuſtū eſt aduerſus quēuis abſentē accuſationē recipere, cùm hoc nec ſæcularia iudicia faciant: quantò magis de domini ſacerdote? Vides ſæculare tribunal diſtinctū ab eccleſiaſtico. Sed audi ex eodē vim coerciuā. Peccātes (inquit) corā omnibus argue: ſi tamen illis probatū fuerit: vt aut ipſe qui plectitur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exēplo: vt cæteri timorē

habeant,

habeant, vidētes te nec presbytero pepercisse peccanti. Præcessit autem hic author Primasius Vticensis in Aphrica præsul, nostram hanc ætatem ad annos mille supra annorum centuriam, sub Imperatore Theodosio clarus & illustris.

Obseruandum præterea ex prædictis quod Paulus ait: Constituite contemptibiles de ecclesia. Ex quo colligitur in ecclesiæ facultate sitū esse, vt sibi iudices designet, nō quidem in iure ciuili. iam enim designati erāt per principes sæculares. Habet igit ecclesia suos iudices, authore Paulo: pōtificios inquā ecclesiasticos, non Cæsareos sæculares. Idem obediētiam exigit à subditis ad pastores in Galatis sexto. Cōmunicet (inquit) qui catechisatur, ei qui se catechisat in omnibus bonis siue obediētia, verbo, actibus, imitatione, siue substātia victus. Idemq́; in Hebræis vltimo sic ait: Omnibus quidē prelatis & præpositis obediendū est, nisi à veritate fidei aberrauerint: præcipuè tamen illis, qui peruigilāt. Ideo subditi debemus esse prælatis nostris, qui solliciti sunt pro nobis, vtpote pro nobis rationē reddituri. Vbi igitur parendi necessitas est, ibi manifesta accedit præcipiēdi authoritas. Vt ergo breui hæc tā multa sermone concludā, omnino oportet esse canones ad cōtrouersias in causa fidei morūq; examinandas, tandemq; terminādas: ne crambe toties repetita mortifera sit. Est enim lex in præsens & in posterū nedū vtilis, imò verò iucunda. Atqui vbi sunt leges, ibi oportet esse nomophylaces. Frustra enim conduntur, nisi sint qui obseruent eas. Neq; obseruabuntur, nisi sint qui cessantes excitēt, ac rebelles coerceant. Qui igitur tandem erūt isti? Laicine? At

ipsi sunt rerũ spiritualiũ & inexperti & ignari. Adhibendi igitur erunt viri ecclesiastici, qui ius petẽtibus dicãt, & occurrentes anfractus enucleare valeant. Habet igitur ecclesia suũ ad forenses causas terminãdas tribunal. Ad quod cõstituẽdũ certũ est nõ defuisse numinis afflatũ, ei⁹ scilicet qui ait: Vbi duo vel tres cõgregati fuerint in noĩe meo, de omni re quã petierint, fiet eis. Nemo ergo dixerit spiritumsanctũ defuisse ecclesiæ in hac causa iurisdictionis statuendæ diuinum auxilium imploranti.

Sed neque illud aduertunt, quòd dominus ait, Reddenda esse quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Qua sanè sententia planè distinguuntur quæsita iure ecclesiastico ab his quæ acquirũtur iure laico. Alioqui nemo ignorat omnia ad deũ pertinere, tanquam summum rerum arbitrum & dominum. Est igitur rerum diuisio facienda hoc loco penes nuper citatos possessionum titulos. Oportet ergo vt Cæsarea Cæsareis legibus statui ac decerni, ita & sacra ecclesiasticis temperari decretis. Quo fit, vt in his statuendis ac moderandis iudice opus sit & nomophylace: & is est ecclesiasticus moderator & rector. Cuius regiminis vim atque energiam probè sensit & agnouit sapientissimorum piissimus imperator magnus ille Theodosius, & quotquot fuerunt religionis Christianæ cultores: quorum si pietatem cum summa obedientia coniunctam recitare velim, dies me deficeret enumerantem. Hinc vox illa Theodosij ad intempestiuum consolatorem Rufinum, Meorum (inquientis) sensu malorum non tangeris. Ego verò gemo & lamentor cœlum mihi esse occlusum,

occlusum, templumque inaccessum. Memoria enim teneo dominicalē vocē, quæ manifestè dicit: Quęcunque alligaueris in terra, is & in cœlo ligatus erit. Quòd si id minimè sentiant nostræ ætatis principes, non iccirco est quòd mucro ecclesiæ sit hebetior: sed quòd quò illi plus sapiebant ac religiosius, nostri & sua & pastorum culpa plus desipiunt. Neque existimandum est (vt falsò deblaterant impij susurrones) primatum successoribus Petri aut à Cōstātino aut Phoca fuisse cōcessum, quo prius caruissent. Neque enim aliquid contulerūt, sed pridem à deo collatum agnouerunt: id quod suis ipsorum legibus cautū legitur. Quin vt anima corpus regit: ita oportet spiritualem præsulem præesse in spiritualibus carnali corporalique principi. Illud quis ferat, quòd cùm hæretici isti episcopos è suo gradu ac tribunali deiiciendos prædicēt, ipsi tamen eiusdem potestatis tribunal furtim inuadere non erubescant? & quod in aliis negant, in se recipiunt, imperium ambientes in eos, quos in æquali secum gradu numeroq; habēdos voce potius quàm mēte prædicāt ipsi, tantùm imperare volētes, nec vllius interim subire iudicium? Cur ita obsecro? quòd scilicet penes eos tantùm sit ecclesia, de se si creditur illis. Sed videāt Aesopicæ illæ cornículæ, ne dum fortè suas repetitū venerit olim grex auium plumas, moueat cornicula risum. Videāt, inquam, asini illi Cumani, caueantque (id quod breui futurum speratur) ne detractis leonis exuuiis, nil aliud quàm tela & gladios duraque saxa ferant. Imò ne nunc quidem plus potestatis habent, quàm prophani olim sacerdotes Ieroboam. Nihil sacrum, sed omnia

ſed omnia apud eos execrata. Christianum nihil, ſed omnia Antichriſtiana cernere eſt. Qui cùm negent, aut eorum pars nō infima, Christi corpus Eucharistiæ ſubeſſe ſacramento, ſacerdotemque abſoluere in pœnitentia, nec intendant dilui culpam originalem baptiſmo: quis credat penes eos vera eſſe ſacramenta? cùm laborent contraria intentione, eique aduerſa, quam vera Chriſti intēdat eccleſia? Hinc emergit omnium illas malorum, & abominationum pelagus immenſum: cùm nec paſtores habeant, nec ſacerdotes, ſed vix etiam baptizatos, videlicet ob defectum intentionis debitæ: quin contrà ſentiunt, nō omnem culpam in baptiſmo deleri. Quæ ſententia directè aduerſatur communi intentioni eccleſiæ. Magiſtratus autem nullos habēt: cùm omnes intruſi ſint, nec vocati. Scriptum enim eſt: Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur tanquam Aaron. Mirum igitur, qua frōte omnibus ſacerdotium datum eſſe credant, aut ſaltem ſe credere ſimulent: cùm omninò prophani ſint, & illius dignitatis expertes. Si enim omnes eſſent ex æquo ſacerdotes: cur in nobis negant, quod ſibi ſuiſque tribuunt? Si ius interpretandæ ſcripturæ omnibus competit ex æquo: cur nobis nō liceat de ea noſtro iure iudicare ac decernere? Cur magis ipſi nobis legem imponere tentant, qui ſibi licere putant ſua poſſe frui inſania? Nemini dubium, quin ſuo quiſque iure frui poſſit: cùm omnes (vt dicunt) ex ęquo ſe habeant, & per eos cuique liceat in ſuo ſenſu abundare. Hic verò mihi dicant genimina iſta viperarum, ſi omnibus ex æquo competit de ſenſu ſcripturæ ſententiam ferre: qua fronte audent pauci

ſymmyſtæ, cæteris nec vocatis nec cõſentientibus, temerè proprium iudicium interponere? Ipſi ſibi teſtes ſunt, quòd priuata ſua prophanaque decreta nullius ſint roboris aut momenti: & tamen pronũciare audent non niſi penes ſe eſſe verbum dei, hac in re nihil à Donatiſtis diſcrepãtes, quos Auguſtinus eleganter ac neruoſè confutãdo proſternit his verbis lib. de agone Chriſtiano cap. 29. Nec eos audiamus, qui ſanctam eccleſiam, quæ vna catholica eſt, negant per orbem eſſe diffuſam: ſed in ſola Aphrica, hoc eſt in parte Donati pollere arbitrantur. Ita ſurdi ſunt aduerſus prophetam dicentem: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et alia multa ſiue in veteris, ſiue in noui teſtamenti libris, quæ ſcripta ſunt, vt apertiſſimè declarent eccleſiã Chriſti per orbem terræ eſſe diffuſam. Quod cùm eis obiicimus, dicunt iam iſta omnia fuiſſe completa, antequàm eſſet pars Donati: ſed poſteà totam eccleſiã periiſſe, & in ſola Donati parte reliquias eius remãſiſſe contẽdunt. O linguam ſuperbam & nefariam, nec verè ſic viuerent, vt vel inter ſe pacem poſteà cuſtodirẽt. Idem lib. 3. cõtra literas Petiliani cap. 2. Si enim firmiſſimè tenueritis, quòd exhortor & ſatago maledictum eſſe omnem, qui ſpem ſuam ponit in homine, vt nemo glorietur in homine, aream dominicam propter paleam, quæ nunc vel vento ſuperbiæ percuſſa volat, vel vltima ventilatione ſeparabitur, nullo modo deſeretis; nec domum magnam propter vaſa facta in contumeliam refugietis, nec propter malos piſces in littore ſeparandos per di-

per dirupta retia exhibitis, nec propter hœdos pastore diuisuro ad sinistram ponendos, bona vnitatis pascua relinqueretis, nec propter commixta zizania vota tritici societate, cui caput est granum illud mortificatum & multiplicatum, & quæ per mũdum simul vsque ad messem crescit, nefaria decisione separabitis: ager est enim mundus, non Aphrica: messis finis sæculi, nõ tempus Donati: Hæc Augustinus.

Videant igitur quomodo in suis antilogiis sibi constare possint: ad quas quidem statuẽdas sobriine, an ebrij accesserint, non pronuncio. Vnum scio, ebrio stupidiorem esse, qui his commentis non facilè videat liquidam subesse contradictionem. Dicturi ne sunt honoratius fuisse apud veteris legis cultores, quàm apud ecclesiæ proceres, sacerdotium? Atqui tanta erat sacerdotij vetusti maiestas, vt nemo attentare auderet ea, quæ vel è longinquo spectarent ad sacerdotis officium. Ozias siquidem rex, vir alioqui multis nominibus clarus, statim lepræ morbum contraxit incurabilem ob vnicam sacerdotalis officij vsurpationem. Et audẽt omnia iactare in vulgus, quæ ad sacrarum rerum administrationem pertinent: huic vni studio addicti, vt omnia prius velint, quàm suum sacris magistratibus retineri honorem. Quem nisi selectæ cuidam hominum congregationi Christus committi voluisset, frustrà sibi delegisset & Apostolos & discipulos, à quibus per successionem ad alios successores transmitti voluit specialem hanc sacerdotij authoritatem. Nam si omnibus iure diuino competebat æqua potestas: quid opus erat reiectis aliis seligere

ligere quosdam, præsertim non admota hac particula, citra aliorum præiudicium? Rursum Paulus peccasset in ius diuinum, qui & Titum Timotheumque selegit specialem eis tribuens potestatem: quæ (vt isti aiunt) debuit omnibus esse communis, etiam ex diuino instituto. Neque id tantum voluit, imò & Tito iniũxit, vt presbyteros præ cæteris nõnullos seligeret sibi in pari potestate successuros. Non erat ergo omnibus æqua potestas.

Hæc ego dicta volui, non tantùm aduersus commenta nostri impostoris anonymi, quàm aduersus etiam eos, quorum iste se præbuit imitatricem simiam. Tota enim sua farragine nihil aliud eum fecisse credas, quàm spicilegium aliquod: ideoque non tam nouorum inuentor errorum factus est, quàm veterum racemator. Ea enim fuere commenta post Marsilium Paduanum Lutheri ac Buceri. Ideoque nominatim etiam Bucerum confutandum suscepi, qui aliorum erratis noua veteribus adiungens, in Latomum virum orthodoxum elegantem sanè ac eruditum ita debacchatur: vt dicas eum tum furiis esse agitatum, nec cogitasse quid diceret, sed tãtùm vt aliquid diceret: cùm satius multò fuisset eum nihil dixisse, quàm dixisse nihil.

Agè igitur, nũc perfidos istos transfugas suo ipsorum telo confodiamus. Illud enim habent sibi nobiscum commune, ibi esse ecclesiam, vbi verè resideat scriptura, authoritate nimirum desumpta ab Augustino cõtra Petilianum cap. 3. cùm ait: Si quis dixerit, hic Christus, aut illic est: nolite credere. In scripturis ergo sanctis ecclesiam requiramus. Ab his enim qui dissentiunt, etiam si in omnibus inueniantur

niantur locis, in quibus est ecclesia: ipsi tamen non sunt in ecclesia. Atqui Iudæi scripturam à sua parte stare contendunt: Lutherani eam ipsam sibi pertinacissimè adscribunt, vt negent vsquam alibi esse, aut aliunde petendam: nos vtrunque constanter asseueranterque negamus. Quis igitur diiudicabit? Iudæúsne? At nec id quidem Lutheranus admittet. Lutheranus autem neque nos audiet, neque nos Lutheranum. Necesse est igitur vnum aliquem adinuenire, qui litem hanc dirimere possit. Petendus itaque erit genuinus scripturæ sensus, ac verè germana intelligentia à priscorum patrum vnanimi cõsensu, sententia & vsu. Quos cùm nobiscum sentire eorum scripta perspicuè demonstrent, nihilque cum hæreticorum factione eos habere commune perspicuum sit: nemini dubium esse poterit penes nos esse & scripturã & ecclesiam. Alioqui quis eis credat nulla ratione suffultis, nulla authoritate subnixis, oraculum nullum, nullum subinde miraculum proferentibus? Quis non statim in faciẽ eorum expuat Paulinum illud improperium: An à vobis primùm verbũ prodiit, an ad vos solos peruenit? Quod si sibi arrogent, vt sunt impudentissimi: probatione, nõ verbis, opus est. Quin potius à fructibus suis cognoscuntur nihil habere cum spiritu sancto cõmune. Nunquid enim colligunt de spinis vuas? aut de tribulis ficus? Nos autem sanctissimos ecclesiæ proceres ad vestigium sequimur, si non vita & moribus (id quod profitemur ingenuè) à deo veniam suppliciter implorantes, dogmate certè & scripturæ intelligentia ab eis neque ad transuersum vnguem digredi volumus: vt quos sciamus vita ac moribus

motibus fuiſſe clariſſimos, miraculis illuſtres, doctrina atque eruditione præſtantiſſimos. Hæc vna machina per ſe ſufficit hæreticæ factionis molem funditus euertere, fundere ac fugare ſæuos iſtos Hippocentauros trucesque Lapithas: qui ſponſam Chriſti ab orthodoxis in ſua caſtra vi, ſi dolo nequeant, transferre moliuntur. Vbi autem verè quęrenda ſit eccleſia: vix vlla rectiore methodo, dirigente Tertulliano, deſignari poſſit. Sic enim ait in præſcriptis hæreticorum:

Vbi enim erit finis quærendi? vbi ſtatio credēdi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? ſed & Valētinus proponit: Quærite, & inuenietis. Apud Valentinum? ſed & Apelles hac me pronūciatione pulſauit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuātes me ſibi adducant. Et ero itaque nuſquam, dum vbique conuenio: Quærite, & inuenietis: & velint ſic nuſquam, quaſi qui nunquā apprehēderim illud, quod Chriſtus inſtituit, quod credi neceſſe eſt, quod quęri oportet. Deinde ſequitur: Viderit qui quærit ſemper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui ſemper pulſat, quia nunquā aperietur. Illuc enim pulſat, vbi nemo eſt. Viderit qui ſemper petit, quia nunquam auditur. Ab eo enim petit, qui non audit. Nobis & quærendum eſt adhuc & ſemper. Vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduerſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicā ab hoſtibus regibus, donatiuū & ſtipendiū captat,

nisi

nisi planè desertor,& transfuga,& rebellis? Etiam anus illa intrà tectum suum drachmam requirebat: etiã pulsator illevicini ianuam tundebat:etiam vidua illa non inimicum licèt durum iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo iluminatur, à quo contenebratur. Quæram⁹ ergo in nostro,& à nostris, & de nostro. In quæ? duntaxat quòd salua regula fidei potest in quæstionem deuenire. Tandemque ita concludit: Scripturas obtendunt aduersarij, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad illam de scripturis disputationem, si hæ sunt illæ vires eorum, vti ne eas habere possint. Dispici debet cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim: nisi ratio constiterit, in primis illa, quòd fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem non conuenire, non post disputationem. Sequiturque. Si dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum: alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit: quia nec alius patrem nouit nisi filius,& cui filius reuelauit: & nec aliis videtur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic

præscribam,

præſcribam,non aliter probari debere,niſi per eaſdem eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando,tam viua(quod aiunt) voce, quàm per epiſtolas poſteà.Si hæc ita ſunt,conſtat proinde omnem doctrinam,quæ cum illis eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam: & id ſine dubio tenentem, quod eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à deo ſuſcepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & dei. Supereſt ergo vti demonſtremus,an hæc noſtra doctrina, cuius regulam ſuprà edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur: & ex hoc ipſo,an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum eccleſiis Apoſtolicis, quòd nulla doctrina diuerſa, hoc eſt teſtimonium veritatis.Hæc Tertullianus, à quo nec ad tranſuerſum quidem vnguem diſcedit diuus Hieronymus, qui in ſuo aduerſus Luciferianos dialogo his tandem verbis concludit:

Quia iam multùm ſermocinati ſumus, & prolixitas concertationis audientium ſtudia laſſauit: breuem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam. In illa eſſe eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hunc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vtputa Martionitas, Valentinianos, Monteſes ſiue Campates,ſcito non eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt,eos ſe eſſe indicant,quos

futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt: cùm & diabolus de scripturis aliqua sit locutus: & scripturæ, non in legẽdo consistant, sed in intelligendo. Hæc ille. Nec tam ouum ouo simile est, quàm huic dicto Augustini oraculum aduersus Manichæum, ita pronunciantis:

Vt hanc omittam sapientiam, quam in ecclesia catholica esse non creditis: multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium. Tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas post resurrectionem dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremò ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista ecclesia sola obtinuit: vt cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Hæc Augustinus. Ista omnia inuicem & cum nostra assertione collata nemo potest salua dissimulare fide.

Nunc ergo cum Augustino te tuosque Bucere moneo, vt aliquando ecclesiæ catholicæ, quæ à patribus continua successione emanauit (quod & ipsa dogmata probant ipsis nobiscum communia) maledicere desinatis vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, nec eos minus corrigere studet, donec venerit tempus excutiendæ à grano

paleæ:ne cum zizania ſimul eradicetis & triticum: néve qui alios abdicatis, ipſi omnium abdicatiſſimi reperiamini: ſcientes vos non poſſe habere charitatem,qui eccleſiæ ſcinditis vnitatem: ne dum Chriſti ſponſam penes vos ſolos eſſe contenditis, reperiamini tantùm habere concubinam. Quæcunque enim congregatio (vt ille ait) cuiuſlibet hæreſis in angulis ſedet: concubina eſt, & non matrona. Nec habent ſpiritum ſanctum,qui ſeipſos ab eccleſia ſegregant,animales ſpiritum non habentes. Minus enim promeretur veniæ, qui ſe ſponte ſua ſciens ac volens ab eccleſia ſegregat, quàm qui à conſortio fidelium mœſtus expellitur. Nos vtique tametſi nec aurea ſumus, nec argentea vaſa: vobis certè fictilia confringere non permittitur. Id enim ſolius dei eſt, cui in eum vſum virga ferrea data eſt. Planè vtique Donatiſtæ eritis,ſi aliquem ſelectum populum quaſi purgatum & liquatum, ſeparatione ſacrilega nomine veræ eccleſiæ conſtituere tentetis. Neque enim vobis licet ob neſcio quorum facta, quæ magis obiicitis, quàm probatis, à catholica orthodoxaque eccleſia ſeparari. Horum ad verbum penè author eſt diuus Auguſtinus libro contra Creſconium Grammaticum tertio: qui & ipſe in Donatiſtas, quorum vos haud dubiè perſonam induiſtis, alio loco ſic inuehitur:

Nec eos audiamus,qui ſanctam eccleſiam in ſola Aphrica reponunt, hoc eſt in partem Donati: cùm vtriuſque teſtamenti ſcripta apertiſſimè declarent, eccleſiam Chriſti per orbem terræ eſſe diffuſam. Quod cum eis obiicimus: dicunt iam omnia iſta fuiſſe completa, antequam aduenisset pars Donati

(vti & nunc vos dicitis de parte Lutheri) sed posteà totam ecclesiam periisse, inque eius parte sola reliquias remansisse cõtendunt. Sed ô linguam (ait ille) superbam atque nefariam: cùm nec ipsi sic viuant, vt vel inter se pacem custodiant. Vides Bucere de te tuisque mutato tantùm nomine fabulam narrari: vt quoties Donati nomen legitur, pro eo appositissimè Lutheri Bucerive persona intelligatur. Ager autem ecclesiæ est mundus non vestra Vvitemberga. Messis, finis sæculi: non tempus Lutheri. Omnia enim ex æquo tribuenda se offerunt Luthero, quæ ille impingit Donato.

Quod vt luce meridiana clarius agnoscas, mecum ipse considera pie lector arrogantissimi huius Donatistæ Buceri incredibilem temeritatem, vni propè similem Luciferianæ. Audet enim, vt est omnium impudentissimus, sibi cum paucis vni spiritum Christi, piam, puram, germanàque scripturæ intelligentiam, ac sacrorum ministerium vsurpare: penes se suosque & numero modicos, & virtutum claritate nullos, ecclesiam Christi sponsam nihil minus quàm olim Donatistæ esse contendere: orthodoxos omnes nedum fastidiens, verùm diris etiam deuouens: vt quos Papistas schismatico (quo vsque ad nauseam semper abundat) spiritu per conuitium vocet impios Antichristi ser uos: qui nedum spiritum dei non habeant, sed nec habere quidem possint. Nec pudet se piorum, humilium, mansuetorum, sermonesque dei trementium (in quibus verè sit ecclesia) numero adscribere, imò primas inter eos partes vsurpare. Istud, si verum esse diffidis, ex Latomo de authoritate eccle-

ſiæ oculatè deprehendes. Denique in omnibus ſibi placet: cæteris à tergo relictis, ſe vnum verbi miniſtrum pronunciat: cæteros nec ferendos, nec pro miniſtris habendos, imò nec vllatenus audiendos, liberè velut è plauſtro loquens intonat.

Primùm ſe ſchiſmaticum haud dubiè demonſtrat, qui ſeditioſo Papiſtarum nomine adinuēto, ne illi teſſera ſchiſmatis deeſſet, ſe ſuoſq́ue ab orthodoxis ſua ſponte ſegregauit. Qui ſi in hoc damnatus fuiſſet, reniti debuerat. Sed palea quauis aura flante facilè excutitur, grano in ſua area ſemper immoto: vt cui illud competat: Non ſic impij, non ſic: ſed ſicut acus, ſeu palea, quam proiicit ventus à facie terræ. Sibiipſe primum exilium indixit, nemo illi. Qui igitur in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Qui ſibi laqueum collo nexuit, ſe extricare laboret. Ait ille nos vſu recto ſacramentorum carere, puroq́ue dei verbo. Nos autem id quod negari non poteſt, ſanctos patres & in ſacrorum vſu, & in verbi interpretatione ad veſtigium ſequimur. Proferant pro ſua parte huic noſtro æquale teſtimonium. Aliquando fuit vera eccleſia penes eccleſiæ proceres & doctores ſacros, quorum ſcriptis mordicùs adhæremus. Nunc dicant, quando primùm eos deſeruerit ſpiritus, qui annorum chiliade deliteſcens, ac veluti extinctus, egregios iſtos pſeudoprophetas ſuo afflatu docuerit: deſignent tempus; cauſam aſſignent, ob quam eccleſia eſſe deſierit apud patres, & ad eos veluti quodam poſtliminio redierit. Quis eos vocauerit, oſtendant. Nemo enim aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à deo tanquàm Aaron. Quis ne-

ſciat omnibus hæreticis eſſe commune, ſibi ſolis literæ ſpiritum adſcribere? Verùm tandem documenta dederunt, qua fuiſſent origine nati, nempe ex patre diabolo: cuius deſideria ſemper adimplere ſtuduerunt, nempe bella, diſſidia, contentionesq́ue apud ſummates: vt interim illis altùm dormire liceat, ſummoq́ue perfrui ocio: quibus ſatius multò fuerat monentem audiſſe poetam: Et nos conſilium dedimus Scyllæ, priuatus vt altùm dormiret. Sed quid opus eſt multis, cùm à fructibus eorum facilè dignoſcantur? Ex quo enim prodire in lucem cœperunt: continuo proferre cœpit zizaniæ ſator has ſpinas, hos tribulos. Primùm enim obſcuratus eſt dei cultus, receſſit à ſacerdotio caſtitas, à monachatu obedientia, pudicitia omnis ab aſcetriis (moniales vocant) exulauit, friguit laicorum deuotio, euanuit morum diſciplina, & erga magiſtratus reuerentia. In quorum ſubiere locum, fraudesq́ue, doliq́ue, odia, ac ſeditiones, expilationes ſacrorum, templorum euerſiones, religionis contemptus, innumeræ ſectarum diuiſiones. Denique quot capita, tot placita. Succeſſitq́ue aut nullus, aut ſordidus miſſarum, horarùmque ac litaniarum vſus. Inualuerunt autem bonorum neglectus operum, prophanatio ſacrorum, conculcatio reliquiarum, baptiſmatis iteratio, bellum blaſphemiaq́ue in cœlites, defunctorum memoriæ obliteratio, diuorum in ſuis imaginibus cruciatus, miniſtrorum dei diſperſio & eorum expilatio. Denique omnium ſacrilegiorum acceſſio ſequuta eſt: & ima ſummis, ſummaq́ue infimis ſtupenda confuſione permutata ſunt. Idiotæ de

ſummis apicibus contendunt,peritis artis os occluditur, in feſtorum locum ſucceſſere Bacchanalia: & pro ieiuniorum abſtinentia, crapulæ, ebrietates, ac vomitus. Denique vis tribus verbis omnia concludam? Charitas illis eſt in ore, aut ſummis ſaltem labiis, profundumque odium in penitiſſimo corde. In opere apud omnes quanuis Barbaros conclamata infamia, etiam ſi Turcæ fuerint, aut Iudæi. Cùm autem hæc ſint veriora veris, ac certiſſimis certiora: ita fortis iſte armatus cuſtodit atrium ſuum, vt ſibi ſoli perſuadeat in pace eſſe omnia quæ poſſidet. At non idem viſum eſt ſuis ſymmyſtis, ſuíſque erroris complicibus: vt ex epiſtola Hedionis Cochlæus retulit in dialogo à ſe edito de diſcordia tollenda. Scripſit Hedio ad Philippum Melanchthonem his verbis:

Experior,inquit,in dies mi Philippe,ſicut in magno corpore ſemper aliquid eſt,quod querelam afferat, & medicantis manum requirat: ita eſſe ſolet in eccleſia, magna domo & regno. Ante natum Chriſtum, teſte Auguſtino, hæreſes fuerunt. 28. Aetas Auguſtini habuit longè plures, hoc eſt. 128. Si quis huius noſtri fermentati ſæculi errores numeret de fide Trinitatis, Baptiſmo, Pœnitentia, homine Chriſto, Chriſto deo, ſacramentis, & cætera. ferè totidem inueniat. Vt ego pro mea tenuitate ſoleam perpetuo in ore habere Polycarpi illud dictum: O deus, in quæ tempora nos poſuiſti? Olim quos timor dei non coercebat, coercebant ſynodi. Multis annis nullam ſalutarem ſynodum habuit eccleſia. Et tamen morbi horum temporum verè expoſcerent medelam: quemadmodum multum eſt

c iiij paſſim

passim querelæ & mali. Excutitur à plerisque iugum hominum, paucissimi se submittunt iugo Christi. Sathan callidus fuit, huc multos agitat: vt dum summa inconstantia iam hoc, iam illud credunt, posthac nihil prorsus credant, & euadant in populum Asotiorum. Et infrà. Certè omnia plena periculis sunt, & neglectus religionis veræ, honestarum disciplinarum, cùm primis theologiæ. Ex studiosis rarissimus inuenitur, qui se parabilem præbeat, vt διδακτικὸς euadat. Adeò omnes horrent hanc professionem, & causantur hoc dissidium: vt nesciam, quales posteritas sit habitura verbi præcones. Papatus reiicitur, Christo non dantur nomina. Iuuentus ferè nihil dei habet. Ablata aut contempta confessione, catechismos non exercetur. Istis malis omnibus, si nos iungeremus dextras, & in domino conspiraremus: posset præsentissimum aliquod pharmacum exhiberi, mutuis auxiliis firmarentur omnia, redigerentur in ordinem confusa. Hæc ille. Ex his cognosce nihil esse tutum apud mentem sceleris consciam. Nec mirum. Nam vt ille ait:

Exemplo quodcunque malo cõmittitur, ipsi
Displicet authori, quando se iudice nemo
Nocens absoluitur: improba quanuis
Gratia fallacis prætoris uicerit urnam.

Hi enim sunt, quos diri conscia facti mens tenet attonitos, & surdo verbere lædit. Id Hediõis ad Philippũ querelę manifestè docẽt. Rectè igitur ait scriptura: Semper pręsumit sęua perturbata cõsciẽtia.

Sola

Sola Buceri impietas, cùm in profundo malorum constituta sit, omnia contemnit: & in summis periculis veluti in mediis fluctibus sua inebriatus philautia, in vtramque aurem securus dormit. Et hic solet esse exitus obstinatæ atque excæcatæ mentis: vt quod cæteri suæ etiam conditionis formidant, ipsi vt sunt excęcatissimi, nec timere, neque experiri, sed neque attendere possint. Quid igitur? Curauimus Babylonem, & non est curata. Quis medebitur ei? Iam tandem derelinquamus eam, ad alia properantes, quæ ad rem nostram propius spectare videtur.

Ad hæc cùm non habeat quid opponat improba hæreticorum peruicacia, vnum sibi adinuenit perisoma, quo sua pudenda (malo instigante genio) tegere moliatur. Aiũt enim mores sacerdotum infra omnem honestatis gradum esse corruptos, proinde nullatenus nec moribus imitandos, nec in suis dogmatibus esse audiendos. Qui tamen scire debuerant, quod scriptum est: Quæ dicunt, facite: quę autem faciunt, facerę nolite. Deinde tâmne erunt perfrictæ frontis, vt audeant omnes vna metiri pertica, & probos cum improbis eadem damnare sententia? Id si fecęrint, seipsos etiam condemnabunt. Neque enim inficiari possunt ex suorum Epicuri dę grege porcorum, si nõ omnes, saltem plurimos multis criminibus laborare, & tamen istis propter illos volunt fidem adhiberi: cur non etiam æquo nobiscũ pondere, pariq; mensura conuenient? Alioqui pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunq; abominabile est apud deum. Si igitur bonos ex nostris audient, probosq; ac modestos imitabuntur: statim intelligent viros etiam vitæ probatissimæ nõ subterfugere

fugere iugum præsulum ac prælatorum, quantumcunque sint moribus deploratis: modo ne aliud aut subeant, aut suadeant, suggerant ve, quàm quod sanctorum interpretatione, pontificum decretis, prisco vsu ecclesiæ, conciliorumq́; placitis didicerũt. Hoc fac Lutherane, & viues. Tantine erit malitia ministri, vt puritatem vitiet sacramenti? Absit, vt impuritas vitæ integritatem auferat doctrinę. Dauid vir integer & propheta sanctissimus erat: lędere tamen noluit Saulem, peruersum licet ac reprobum, & à facie dei omnino reiectum. Quis (inquit) manum suam extendet in Christum domini, & innocens erit? Agnouit Paulus principem sacerdotũ suspiciendum esse ac venerandum, à quo tamen iniuriam per conniuentiam saltem passus est. Deinde cùm nescias Lutherane, quis ex præsulibus quotúsve aut probus sit, aut improbus: qua fronte omnes abiiciendos esse censes? Tu verò quis es, qui iudicas alienum seruum, tibi etiam prelatum? Domino ille suo aut stat, aut cadit. Quáve temeritate audes iudicare ante tempus, donec venerit dominus, qui reuelabit abscondita tenebrarũ? An nescis esse septem millia virorũ, qui non curuarunt genua ante Baal? qui tamen nobiscum sentiunt, prælatis obediũt, etiam discolis iuxta Apostoli præceptum; grana colligũt, siliquis ad porcos relegatis. Tu igitur vade, & fac similiter. Obedias saltem cum bonis, moribus malorum reiectis, Sic fiet, vt augere possis numerum bonorum: eademq́; opera, communiq́; cõsilio & auxilio, diminui poterit malorũ (qui plusquàm vellē in immensum auctus est) aceruus.

Audi itaque non me, sed Augustinum eleganter,

vtinc æteris solet, super ea re differentem lib. de fide ad Petrum cap. 43. Firmissimè tene, & nullatenus dubites aream dei esse ecclesiam catholicā, & intra eam vsque in finem sæculi frumēto mixtas paleas contineri: hoc est, bonis malos sacramētorum cōmunione misceri, & in omni professione siue clericorum, siue monachorum, siue laicorū, bonos esse simul & malos, nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos inquātum exigit fidei & charitatis ratio tolerandos: id est, si vel in ecclesia nullius perfidiæ semina spargūt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione ducunt. Nec posse aliquem intra ecclesiam catholicam rectè credentem, benéq; viuentem alieno vnquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem præbeant nec fauorem. Vtiliterq́; malos à bonis intra ecclesiam tolerari, si hoc cum eis benè viuendo & benè monendo agatur: vt & videntes & audientes quæ bona sunt, mala sua respuant, & iudicandos se à deo pro suis malis operibus contremiscant. Hæc ille. Per hæc verba non permittitur inferiori, vt à superioris iugo se eximat, etiam si ob impuros mores sinistra apud suos fama laboret. Quod enim non licuit priscis patribus, vt se à malorum consortio segregarent: neque id etiam nobis licere putandū est. Quod si hoc tēpore liceat: primus omnium existimaberis, vt qui desertor sis & refuga, à cuius cōsortio secedēdum sit. Sicq́; vel extra te, vel in te vno (quod incredibile fuerit) Christi residebit ecclesia. Quòd cùm spōte à nobis discesseris, necesse fuerit vt apud nos illa maneat.

Hic tuam conscientiam appello Bucere, si te verum

rum

rum profiteri minimè pudeat: quò secesserat spiritus ille tuus, de cuius afflatu indiuulsóq; consortio tantopere gloriaris, cùm pernegatam à te corporis Christi in sacra Eucharistia præsentiam recantando denuo cõstitueres? Neque enim tecum erat, cùm tibi cõtrarius ipsi modo caneres, modo verò asserta recantares. Testimonium domini fidele est illuminans oculos, nihil habens cum errore commune, cùm nulla sit luci ad tenebras conuentio. Iam tuum erit docere, quando ad te redierit, à quo per errorem auulsus fueras, diuinus ille spiritus. Vbi est manifestæ tuæ præuaricationis publica pœnitentia? qua sine non potest prolata in vulgus tua culpa deleri. Vbi enim ortum est delictum, ibi moriatur oportet: & publicè ortum & auctum, gemitu luctúq; profundo deleatur & abstergatur. Cuius rei cùm nulla signa dederis: nemo est, qui non intelligat nec penes te esse scripturam, neque eius pium sensum, syncerámve intelligentiam. Proinde videto Bucere, quid de te tuísq; similib9 pronũciet Hieronym9. Marcion (inquit ille in Galatis) & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes, non habent dei euangelium: quia non habent spiritumsanctum, sine quo nõ docetur euangeliũ. Nec putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

Tu igitur cùm veritatis lumine orbatus tibiipsi consulere nequeas: audire saltem debueras Gregorium in hæc verba loquentẽ in cap. 1. quæst. 1. Multi secularium hominum cùm plus sacerdotis vitam quàm suam discutiunt, in magnum contemptionis diuino-

diuinorum sacramentorum crimen incurrunt. Magna enim trabe vulneratos habentes oculos, eamq; negligentes: festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis. Quam dum incaute festinant auellere, erroris in foueam dilabuntur, minus quidem considerantes, quòd non eos sacerdotum vita læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent. Sed dum hypocritarũ more plus illorum famam, quàm propriam vitam vel vitæ negligentiam diiudicant: spernunt sancta monita & spiritualia dona. Vnde fit, vt non solùm ab eis dicta respuant, sed (quod deterius est) diuina etiam mysteria contemnant: vt nec corporis communionem, nec sanguinis domini nostri Iesu Christi eorum ministerio confectam assumant: putãtes hãc minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in q̃ magnum laqueũ incidunt, vt diuina & occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant: cùm vnus idemq; spiritussanctus in ecclesia, diffusa per totum orbem terrarum, incomprehensibiliter ea mysteria occulta atque inuisibiliter & operando sanctificet, & benedicendo benedicat. Hæc ille. Hic vides non obstare vitam impuram sacramentorum veritati & nitori: sicut neque radius luto inficitur, neque ignis gladio secatur, neque impuro lumen vitro polluitur. Proinde in miseros homines Fabianus inuehitur eadem & causa & quæstione, qui malos obseruando, Christi obliuiscũtur: qui & multo ante prædixerat potius audiẽdam esse ab eis legem, quàm imitandam vitam. Nam & Christus ob eam causam Iudam tolerans, cum euangelizare non pro-

non prohibuit: & ea consuetudine patres vsi sunt, eamq; posteris docuerunt. Sed neq; deserimus propter vitium, quod in homine latet, Christi euangelium: quod ex eius ore prodiens, omnibus manifestè patet. Tu verò (quod deterrimum est) & aliorũ insectaris vitia, trabem in tuo tuorumq; oculis permittens: & simul innocentem cum nocẽte inuoluẽs, omnes eadem metiris pertica, eosq; veluti ecclesiastico complexu indignos procul ab orthodoxorũ pręsepibus arces. Ex quo verum esse colligo, quod Sapiens ait: Stultus ambulans in via, omnes alios sibi similes existimat. I nũc, & alios te innumeris partibus meliores à vero ecclesiæ gremio, si poteris, reiice: & te vnum esse contende, apud quem consistat orthodoxa fides, ecclesiæ vnitas, & recta scripturæ intelligentia. A quibus tã longè abes, quàm terra à cœlo, inferi à superis, & à vera luce tenebrę.

Sed ad suas semper latebras deprehendi metuẽs lucifuga ista noctua suo more recurrit, quibus fultus inuictæ veritatis laqueos valeat effugere. Ad quam cùm metuat accedere, nec eius tamen radios queat euadere: se tantùm voluit in orbem, cùm nullum inuenire possit exitum. Existimat autem se sub vnius scripturæ vmbra fictoq; velamine regnare posse, ac cæteris imperare: cùm tamen longissimè absit à sano scripturæ intellectu. Cùm autem vrgetur impelliturq; ad petendam ex priscorum patrũ consensu germanam scripturæ intelligentiam: vt se tandem extricet, omnibus communem facit interpretandæ scripturæ facultatem. Qua assertione stupidius nihil aut dici, aut cogitari potest.

Hoc igitur post multa pronunciat, scripturam

nullam habere obscuritatem in his,quæ ad salutem sint necessaria: eam ab omnibus intelligi quãtumuis rudibus aut indoctis,nec vllam de se dubitationem relinquere. Cætera ex collatione scripturarũ adiecto lumine rationis facilè colligi posse.Quod si verum est:qua fronte audes Bucere tibi vni vnà cum tuis symmystis syncetam scripturæ intelligẽtiam tribuere,vt etiam ecclesiæ molem maiestatẽque tibi vendices?Túne alios censes ita rationis expertes,ac rudibus etiam rudiores: vt assurgere nequeant ad id quod dicis omnibus esse peruium? Si admittis scripturæ intelligentiam tibi cum ceteris esse communem: penes eos quoque ecclesiã esse fatearis oportet,à quibus tamen te impiè subtraxisti. Quo fit,vt iuxta Augustinum non habeas deum patrem, qui à te abdicaueris ecclesiam matrem. Imò te ipsius ecclesiæ iactitas esse parentem, vt qui dicas multis anteà annis extinctam, nunc primùm illuxisse orbi, te nimirum authore tuísq; asseclis, cũ quibus fœdus inisti. Quum autem hæc scriptura (vt ais) omnibus sit peruia, eius intelligentiam habuerunt prisci patres ecclesiæ, quorum nos sequimur interpretationem. Vnde nihil aliud sequi potest,quàm quòd penes nos sit ecclesia & scriptura: qui nihil aliud profitemur,quàm veram, quæ à patribus ad nos peruenit, scripturæ interpretationẽ & intelligentiam. Nos grana sumus in area patrũ ecclesiæ permanentia:vos paleæ, qui leui aut gloriæ,aut cupiditatis aura ab ipsa area vos transferri,magna vestra ignominia, nec minore animæ periculo permisistis.

Rursum,si quemuis(vt dicitis)in suo iudicio relinqui

linqui oportet:finendi igitur eramus in noſtra ſententia. Cur ergo reiicitis nos,quos in ſententia permittere debebatis? Hic nihil niſi meras antilogias perſpicere poſſum. Omnia permittenda dicis, nihil interim aliis permittens,cùm tuo vnius arbitrio veram ſcripturæ mentem tribuas. Solus Bucerus eſt eccleſia, niſi fortè ſocium ſibi Lutherum aſciſcat: id non permiſſurus,niſi eum timeret riualem. Solus mentem ſcripturæ tenet. Solus eorum quæ ſtatuenda ſunt, quæque ſupprimenda, apud ſe menſuram ſeruat. Hic quis credat apud ſe fuiſſe Bucerum,qui hæc duo ſimul coniungit: Suo quemque iudicio relinquendum: Neminem tamen recipiendum, niſi qui purum literæ proferat ſenſum? Ex priore dicto omnes tolerat:ex poſteriore reiicit omnes, præter eos qui ſuo fauent errori, cùm purũ ſcripturæ verbum ſibi vendicet vni. Solus eſt theodidactus: reliqui verò omnes dicentur etiam ſenſus communis expertes, qui ſenſum ſcripturæ non aſſequantur, quem dicit eſſe peruium quibuſuis etiam rudibus. Verùm vbi erat perſpicuum ſupra cæterorum cõmunem aleam Buceri ingenium, cùm aſſiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia ſemel à ſe negatam, mutata ſententia recantando iterum aſſereret? Erat ne illi ſcripturæ ſenſus tum peruius? Ad hæc reſpondeat: aut certè culpam Bucerus agnoſcat neceſſe eſt. Sed de hoc aliâs.

Nec tibi mirum videatur lector, cùm videris me nonnulla ex eo repetentem, cùm hanc mihi neceſſitatem imponat tergiuerſator: quem fugientem inſectari neceſſe eſt, ne quà poſſit elabi. Prius igitur eſt,vt ad obiecta reſpondeat, quàm à viris cordatis

fidem

fidem aliquam impetrare possit. Nos iam probata tenemus ac veneranda omnibus, antiquitate stabilita: ipse recentissima sua ac heri tantùm nata dogmata comprobare debet, & aduersus eum coniecta iacula si queat amoliri atque auertere. Actori enim & inuasori probatio incumbit, & non defensori. Catholici sumus ab initio etiam nascẽtis ecclesiæ, & ad hæc vsque tẽpora perseuerantis, vestigiis inhærentes: ipsi se protestantes appellant. Proferant igitur neruosa aliqua suæ protestationis argumenta: aliâs nec audiendi sunt, nec vllatenus admittendi. Nos si ea quæ stabilita sunt, fulcire contenderimus: iniuriam faciemus ecclesiæ, atque adeò eius sponso Christo redemptori: cuius nomine hoc illis dixisse sufficiat: Tauri & altilia occisa sunt, venite ad nuptias. Quod si facere minus audentes renuũt: vestrũ erit, ô principes orthodoxi, mittere in vias, & vicos, & abdita quęque loca, vt obuios quosque priscæ fidei desertores compellatis intrare etiam inuitos ac nolentes. Nos interim omnia patrum decreta inconcussè tenemus. Ipsi si quid præterea habeant, proferant: habebunt viros ad eorum tela retundenda paratos. quãdoquidem quæ hactenus publicè ediderunt ad elidendam ecclesiæ doctrinam machinamenta: ea omnia ad vnum, editis in eam rẽ codicibus, confutata sunt ac sepulta. Nos in nostra statione permanemus, longissimi temporis atque adeò immemorialis possessione tuti ac muniti. Patres illis obiicimus coruscãtes miraculis, eruditione conspicuos, vita & moribus commendatissimos: quos si loco dimouere, & à sua possessione exturbare velint, huic animo Gyganteis viribus opus esset. Imò

ſet. Imò nec illæ ſufficerent, ac nec quidem portæ inferi huic negocio obeundo pares eſſe valerent: cùm nihil ipſi hactenus protulerint, quàm futiles argutias, plumbea tela, obtuſamque gladij aciem, atque à viris probatiſſimis iampridem retuſam. Quin & vafrum aſtutiſſimumque eorum inſtitutū vel hoc vno Tertulliani oraculo elidi poteſt. Scripturas obtendunt (inquit) qua aſtutia quoſdam loco dimoueant, firmos fatigent, infirmos capiant, medios cum ſcrupulo dimittant. Hanc illis rimam obſtrui debere Tertullianus pronunciat, vt hac etiam in parte illis vires adimantur. Exurgat itaque deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis: ſic pereant peccatores à facie dei.

Hæc cùm grauibus ac cordatis quibusque viris ſufficere poſſe videantur ad reprimenda in ea parte, de qua ad præſens agitur, hæreticorum blaſphema deliria: non prorſus tamen inutile videtur eius (cuius ſupra meminimus) nebulonis obſcuriſſimi, qui hierarchicum in Anglia principatum non ſine infœlici grauique ſucceſſu euertere molitur, futiles argutias ſingulatim refutare: vt omnibus tandē armis exutus, ad ſinum offenſæ matris ſupplex aliquando redeat: aut ſaltem hi, quorum oculis fumū offundere molitur, promptius reſipiſcant. Hoc enim iubet Paulus Timotheo dicens: Profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ. Inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Fieri etiam poteſt, (quamuis admodum rarenter) vt per hæc corripiantur,

piantur, & ad meliora excitentur, qui resistunt veritati : si quando deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem; & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

Primùm igitur futile est, quòd fumi venditor iste (dignus qui fumo pereat) veritatem obfuscando proponit: Idcirco omnem iurisdictionem ab ecclesia exulare, quòd Christus nullam exercuit, qui tamen ait : Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quasi verò dominus non reliquerit plurima suæ ecclesiæ executioni demandanda, quæ nunquàm exercuerit ipse. Quando enim Christus aliquem aut morte aut cæcitate euestigio inflicta damnauit? Constat nihilominus Petrum Ananiam & Sapphiram extremo puniuisse supplicio. Paulus Bariehu magiæ nomine conspicuum statim cæcitate mulctauit. Hæc & alia successu temporum pro nata occasione exercenda nec Christus ipse tacuit, qui ait: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. At quem vnquam Christus dominus excommunicauit, quem pro Ethnico & Publicano habendum lata sententia decreuit? Id tamen sanctè & iustè attentauit Paulus, vt in Corinthiis patet. quin & de huiusmodi censuris ferendis apud Thessalonicenses legem tulit. Quo fit, (vt) nota similitudinis non per omnia paritatem exprimat. Nullum enim simile, idem. Sed nec similis missio similem parit executionis effectum, cùm aliud tempus alios mores postulet. Alioqui quis tam rudis hebesque ac stupidus, qui Christi conditionem cum Apostolica le-

lica legatione per omnia ſimilem audeat aſſerere? Miſſus eſt Chriſtus ad redimendum genus humanum, miſſus è cœlo in terras, miſſus ad virginis vterum, ab eo ad crucem, à cruce ad inferos: quis niſi delirus, ad hunc modum miſſos dicat Apoſtolos? Id quoque obſeruandum, quod ait: Ego mitto vos: vos inquam Apoſtolos, & eos quos deſignaueritis ſucceſſores: ſicut Petrus Marcum, Paulus Timotheum & Titum, Ioannes Ignatium: Vos ergo mitto, non omnes & ſingulos baptizatos. Pendet igitur hæc miſſio, non à baptiſmo, ſed à ſpeciali quadam alia vocatione. Vides, vt tela hæreticorũ ſtatim ab eis emiſſa aduerſus eos retorqueãtur: ita, vt

Referant telis uulnera facta ſuis?

Quid autem attinebat dicere, Mitto vos ad ſacerdotij ſcilicet functionem exercendam, ſi iam ab initio ſuſcepti baptiſmi id genus functionis à deo recepiſſent? dicturus alioqui, Iam ego miſi vos ab ipſa baptiſmi ſuſceptione. Rurſum, Mitto vos: non fœminas, non paruulos, non eos quos Paulus vetat aſſumi, nempe neophytos, bigamos, litigioſos. Non ergo ad omnes hæc verba referuntur, Ego mitto vos.

Vt autem tota eos via aberrare intelligas, imò nec cœlo hærere nec terræ: attende lector diuum Paulum ſacerdotium à baptiſmate diſtinctum palam depingere, dum in Hebræis ait: Omnis pontifex ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad deum. Hic enim præſcriptis verbis omnino palam oſtendit multis gradibus

dibus differre externum ſacerdotium ab interno. Hoc enim ſpirituali oblatione perficitur & interiore mentis affectu, de quo Petrus ait: Offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles deo. Illud verò etiam externa ſigna exigit, ſacrificando ſcilicet, prædicando, paſcendo. Ad iſtud omnes vocantur, omnes inuitantur, nempe ad baptiſmum: ad illud verò pauci. Nam ex multis pauci eliguntur, dicente Paulo: Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, ex grege ſcilicet laicorum. Hoc omnes appetere debent: illud ſine ambitione non appetitur. Nemo (inquit ille) aſſumit ſibi honorem. Hoc illi ſubiicitur tanquàm cliens patrono: cum pontifex pro aliis baptiſmate conſecratis patronum & mediatorem agat. quod nec ipſe Paulus tacuit, dicens: Eum pro hominibus conſtitui, vt offerat deo dona ac ſacrificia pro peccatis. Ad internum inuitati, interrogati an velint baptizari: dicunt, volo. Ad externum verò vocati, dicere debent: aut volo, aut nolens volo. Per iſtud ex vi ſacramenti omnes ſunt ex æquo ſacerdotes, & (vt videri volunt) etiam reges. quod tamen ipſi negare habent, cùm non ſit in omnibus æqua fides, cui vni tribuunt effectum baptiſmi, cùm non ſit omnibus æqualis: ideo in hac parte ſeipſos proprio mucrone confodiunt. In noſtro verò ſacerdotio non omnibus conceditur æqua poteſtas: quamuis enim quadamtenus æquales ſint ordine, non tamen iuriſdictione.

Quòd autem oblatrant epiſcopum non differre à presbytero, & epiſcopatum pendere ab arbitrio tantum humano: planè falluntur, neſcientes quæ loquuntur, neq; de quibus enunciant. Quod vt lector

apertius intelligat, ſciendum presbyteri & epiſcopi nomina vſque adeò ſymbolizaſſe, vt iidem dicantur presbyteri qui & epiſcopi: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos elegit deus epiſcopos. Re tamẽ ipſa differt presbyter epiſcopus à presbytero ſimpli. Simplex enim nõ poteſt alios ordinare presbyteros, neq; alia exercere: quæ ex iure nõ tam humano, q̃ diuino pontifici competunt. Id quod agnouit Ignatius Ioannis diſcipulus, ita dicens: Sacerdotes baptizant, ſacerdotiũ agũt, ordinãt, manus imponũt: ſimplex presbyter ab vno tantũ epiſcopo ordinatur, pontifex verò à tribus. Ex vſu etiã apoſtolorũ, non hominũ puro arbitrio, impoſitio manuũ cõpetit epiſcopo, nõ ſimplici presbytero. Vnde & poſt prædicationẽ Philippi in Samaria, Miſerunt Apoſtoli Petrũ & Ioannẽ epiſcopos, vt imponerẽt manus ſuper illos, & acciperẽt ſpiritũſanctũ. Deniq; epiſcopus ordines cõfert, epiſcopos conſecrat, baptizatos cõfirmat, & id quidẽ ab initio naſcẽtis eccleſiæ. Nõ igitur eſt hoc recẽs inuentũ, ſed ab initio primitus inſtitutũ. Per hæc vides nõ prorſus idẽ eſſe epiſcopũ, & ſimplicẽ presbyterũ: & hãc diſtinctionẽ proceſſiſſe ab ipſa Apoſtolorũ traditione, non ab excogitata hominũ inſtitutione. Cùm igitur dicũt hæretici, ſacerdotiũ aliud à baptiſmo eſſe humanũ inuentũ, nihilq; habere roboris à iure diuino: Quid igitur dicturi ſũt de regia poteſtate, cùm velint oẽs ex æquo eſſe reges ſicut & ſacerdotes? Quòd ſi pręter hoc ex ſcriptura agnoſcãt aliud regnũ: eadẽ ratione vrgente, pariq; authoritate, fultũ agnoſcere debẽt ſacerdotiũ. Regnũ agnoſcũt ex his verbis: Nõ ſine cauſa gladiũ portat. Dei enĩ vindex eſt

dex est in irā. Prælaturā nihil minus agnoscere debēt ex eiusdem Pauli authoritate, dicentis: Obedite præpositis vestris. Ipsi enī peruigilant rationē reddituri pro animabus vestris. vt ne alia repetere cogar, quibus legitimum ecclesiæ innititur sacerdotium: cùm nemo sit qui ignoret Apostolorum dignitatem ab ea functione, quæ Septuaginta discipulis competebat, Christo authore separatam fuisse atque distinctam. Constat autem Apostolis successisse episcopos, discipulis verò presbyteros minores, communi patrum omnium consensu: conspirantibus in eam rem capitulis, In nouo. 21. distinct. &. 93. legimus. &, Quorum vices. 68. distinct. ex verbis Augustini. Ex quibus apparet dignitates varias sub eisdem nominib⁹ ad tempus fuisse comprehensas. Veluti olim Aaron quandoque pontifex appellabat, quandoq; sacerdos: cùm tamē reliquis etiā ex institutiōe diuina sacerdotib⁹ preesset.

Quòd autem Hieronymus ad Euagrium ex cap. Olim. episcopalem functionem humano adscribere videtur instituto: fieri non potest, vt id suo sensu retulerit, cùm aliis plerisq; locis diuersum ex proposito asserat. Volens ergo domare quorundam ferociam, deflectere voluit in partem contrariam: nō tam ex proprio sensu, quàm ex vulgata quorundā suspitione potius, quàm opinione. Neq; enim ignorabat impositionem manuum presbyterij à deo magis pendere, quàm ab hominibus: vt episcopos Apostolis, minores verò presbyteros successisse discipulis, non tam ex placito humano, quàm diuino & Apostolica traditione. Sciebat præterea pontifices & episcopos, alios ordinare presbyteros, vt de

 Timotheo

Timotheo constat & Tito: id autem nunquã licuisse presbyteris minoribus, vt alios ordinarẽt. Quin & in eadem epistola ad Euagrium, secernit episcopos à presbyteris & diaconis, etiam ex traditione Apostolica, ita dicens: Et vt sciam⁹ traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamẽto: quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerũt, hoc sibi episcopi & presbyteri & diaconi vendicent in ecclesia. Cùm igitur constet hãc de episcopatu assertionem ab ecclesia esse receptissimam, nihil est quòd grauemur quibusdam singularibus obiterq; relatis, quæ aliò spectare videntur, sententiis: cùm ad Hieronymum scribens Augustinus ita dicat in cap. Ego solis. distinct. 9. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáve doctrina polleant: non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi p alios authores, vel canonicas vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorret, persuadere potuerunt.

Breuiter, vis omnia dicam? Non facilè quis explicet, quàm crassis quámq; multis erroribus scateat hæc vna impietatis sentina. Non enim tot ad se nubes cæcias attrahit, nec tam vberes in se fluuiorum gurgites Oceanus recipit: quot absurdissima deliria vnicum istud paradoxum breui complectitur epitomate, dũ scilicet ex his verbis: Quæcunq; alligaueritis, & quæcunq; solueritis, aliisq; adminiculis, colligunt hæretici, omnes statim à suscepto baptismo esse sacerdotes, oib⁹ interpretãdi ac prędicãdi verbi ex æquo cõpetere facultatẽ, soluendiq; ac ligãdi oẽs ius habere æquale. Decernẽtibus itaq; Luthero ac Bucero nulli iã erũt laici, cũ tamen

tamē legamus laicos panes differre à sacris:& prophana secularia'que negocia alioqui etiā licita,longo interuallo abesse à spiritualibus ac religiosis. Id enim ex Paulo colligitur, dum ait: Nemo militans deo, implicat se negociis secularibus. Iam si nemo est laicus,nemo secularis:quæ dicenda veniāt secularia negocia, nemo facilè diuinare queat. De licitis loquor, à quibus tamen deo militantes clericos Paulus longius abesse intendit. Neque enim arcet his verbis Timotheum Paulus ab illicitis, quę per se fugienda sunt,verùm ab aliis etiam negociis alioqui licitis. Vt ergo sunt aliqua opera laica, ita sunt laici homines,qui etiam Christo per baptisma fidem dederunt. Duo enim esse genera hominum tam est in confesso,vt probatione nō indigeat:adeò vt nec ipse inficiari ausit, cùm illud sit ab omnibus ecclesiæ proceribus tam priscis quàm recentioribus vno consensu receptissimum. Quis enim nescit illud quod ex Hieronymo censetur.12.quæst.1.duo esse genera Christianorum? Clericorum vnū,quos deo deuotos & in sortem dei vocatos appellamus: popularium aliud, quos vocant laicos. Sunt igitur alij aliis, si non vita,statu saltem & ordine præstantiores. Alia sunt Cæsaris, alia clericorum iura, etiam inter Christianos,imò & aliæ etiam possessiones.Distinguuntur enim sacra à prophanis apertissimè,etiam Christi testimonio,qui ait: Reddite quę sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. Alioqui falsò Vrbanus papa in cap. Scimus. eadem causa & quęst.distinxisset clericos à prophanis:qui nō procul ab initio nascentis ecclesiæ floruit, sub annum videlicet domini.222. Quid referam de Augustorum

rum ciuilibus legibus, quibus passim secernuntur laici à clericis? Quid de Constantino, qui clericorum causam à prophanis iudiciis ita secernendam censuit, vt negaret se de illis sententiam ferre posse? Id autem præter historiam omnibus notissimam recensitum est ex Melciade in cap. Futuram. eadem causa. Sed superuacaneus labor esset in hoc puluere sudare, cùm satis constet quid de hierarchico principatu Dionysius iusto edito volumine constituerit. Quin si eorum dicta rectè expendas, omninò nescias, vtrum è duobus efficere velint, an de laicis clericos, an contrà de clericis laicos, aut certè vtramque in vnum coniungere classem. Recepta enim vtriusque nominis descriptione, ex eorum dictis si quis erit laicus, omnes etiam laicorum nomine censebuntur. Neque enim alius alio amplius apud eos sacerdos dici potest. Rursus, si aliqui sunt clerici, quia sacerdotes: omnes ea ratione clerici dicentur. Quocirca cùm in omnibus suis erratis pernitiosi sint: in hoc etiam se exhibent ridiculos semel omnia confundentes, & cum clericis laicos, & cum laicis clericos. Mulieres etiam æquo cum cæteris gradu sacerdotij constituentes: & ita constituentes, vt nullo crimine quantumcunque graui à sacerdotio degradari possint. Quem errorem aptissimè non sine subsannatione Hieronymus confutat aduersus Luciferianos: qui pœnitentem episcopum recipere recusabant, nisi deposito sacerdotio, accedentem verò laicum vltrò reciperent. Quod irridens Hieronymus, ait oportere etiam laicum deponere sacerdotium. Quod fieri apud eos non potest, cùm baptisma deleri nō possit. Quin hac etiam ra-

tione quiuis laicus (si tamen laici nomen admittãt) constituere poterit sacerdotes. Laicis enim baptizare conceditur. Nec maior est apud eos qui creat sacerdotem, quàm qui creatur ab illo. Quòd si ex Paulo, qui minor est à maiore benedicitur: necesse est ab eis omnem exulare benedictionem, cùm nullus sit inter eos maior, sed omnes æquales. Vides, vt nihil ex ordine fiat apud eos, sed omnia extra ordinem? Nullam agnoscunt hierarchiam, nullo inter se distiguũtur gradu. Nec aliud existimari possũt, quàm turba sine ordine, gladius sine acie, facies sine figura nulloque illustrata lumine. Et cùm solus ordo in acie victoriam pariat: necesse est eos statim inuictæ succũbere veritati, & cum Chore, Dathan & Abiron omnem ordinem peruertere conantibus diuino perire iudicio: cùm scilicet sibi æquam sanctitatem vendicarent, æquamque potestatem cum ea, quæ summis sacerdotibus à deo collata fuerat. Cætera ex Cypriano colligi possunt de simplicitate prælatorum.

Quid plura? Si omnes dicamus esse sacerdotes ex æquo, diuinique verbi ministros ab initio institutos: iniuriam ergo aliis diuus Paulus grauissimã intulisse dicetur, qui paucos de multis & ipse delegit, & deligẽdos censuit, priore ad Timoth. 2. Nam cùm omnes Christiani, sint iure diuino sacerdotes ac ministri verbi: quomodo potuit excludere neophytos, bigamos, & diaconos à reliquis separare, cùm omnibus idem ius competat? Imò nec potuisset mulieribus indicere in ecclesia silentium, qui tamen ait: Mulierem in ecclesia docere non permitto. Hoc enim esset non vnám aut alteram, imò & sexum

xum vniuersum suo iure priuare, etiam cœlitus acquisito. Et quinā essent selecti isti presbyteri, quos idem duplici dignos cēset honore, si omnibus idem ius competat vnius baptismi subsidio? Aut quid opus erat vetare, ne Timotheus cuipiam citò manus imponeret, cùm vni' baptismi beneficio omnes sint ex æquo ministri verbi? Vide lector, quò hæreticos istos sua ipsorum insania auersos trahat, negantes quod passim Paulus ait, & quod idem negat impudentissimè asserentes. Nec possunt (etiam si medij rūpantur) hac rima effugere, dum aiunt præfecturam ecclesiasticam esse iuris tantùm humani, cùm dicat ad Timoth. Paulus: Commonefacio te, vt suscites donum dei, quod in te est per impositionem manuum mearū. Quem locum sic illustrat Oecumenius vetus author: Simul enim vt Paulus illi manus imposuit ordinans ipsum episcopum, donum quoque in eum superuenit ad signorum operationem, ad doctrinam, & ad præsidendum ecclesiæ. Est ergo à deo, non ab homine, huiusmodi prælatura. Idemque deprehendere est in Tito, vbi Paulus ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas singulis ciuitatibus presbyteros. Id exponens Oecumenius, ait: Hunc reliquerat, vt singulis ciuitatibus constitueret episcopos, quem prius episcopum constituerat. Non igitur ius erat penes plebem eligendi episcopum: alioqui id attentans Paulus grauiter eam læsisset, qua inconsulta ac suo iure priuata eligendorum episcoporum non sibi tātùm, imò & suo Tito authoritatē reseruasset. Ex his manifestum est non esse æquam apud omnes sacerdotij authoritatem, etiam ex constitutione iuris diui-

ni. Atqui

ni. Atqui cæcutientes fefellit hæreticos leuissima quædam pseudographia, sinistrè ac præposterè illud intelligentes, quod apud diuum Petrum legitur: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium distinguere aut nescientes, aut nolentes inter externũ internumque sacerdotiũ. Istud enim omnes & singulos ex æquo respicit baptizatos: nulla tamen eis attributa aut interpretãdi aut ministrãdi verbi authoritate, quatenus sunt tales, vt quã vsurpare prohibeatur sexus fœmineus. Et ab ea exercenda & ignari prohibentur & laici: quos debere probari Paulus locis plus sexcentis author est. Sed & ipse Petrus presbyteros ac pastores à reliquis apertè segregat, cùm ait: Presbyteros, qui sunt inter vos, exhortor & ipse presbyter, pascere eum, qui in vobis est, gregem Christi. Distincti igitur erant qui pascebant, ab eis qui pascerentur. Et qui alios aliis subiicit, non omnes ex æquo constituit: vt & Oecumenius ait: Clerum Petrus vocat sacrum cœtum, sicut nos etiam nunc. Sic fit, vt sacer cœtus distinguatur à prophano, nec omnes sint ex æquo sacri. Ideoque constituendum est aliud sacerdotium externum, quod per impositionem manuum acquiritur, vt ex Paulo docuimus, etiam vltra baptismum, quod quidem omnes ex ęquo consecrat. Est nihilominus aliud consecrationis genus non ita omnibus conueniens: & illud est externum sacerdotiũ, quod quidem non tam respicit singulos quàm vniuersos: cuius accessione, & à deo collato munere, vniuersi Christiani tanquam corpus vnum dicuntur: gens sancta, regale sacerdotium. Id autem manifestum est ex veteri synagoga, quam Moyses eisdem penè

verbis

verbis regale ſacerdotium appellauit: cùm tamen ſciret nõ omnes eſſe ſacerdotes, ſatis eſſe exiſtimãs: ſi ex toto corpore ex diuina inſtitutione ad munus ſacerdotale probati aliqui deſumerẽtur. Internum igitur ſacerdotium reſpicit ſingulos, iuriſdictione ſecluſa: externum autem vniuerſos, ex parte totum intelligẽdo. Vt cùm quod os pronunciat, ab vniuerſo corpore pronunciatum vſu vulgato dicitur. Quis enim non videt ex aliis verbis à Chriſto prolatis ſacerdotalem pẽdere iuriſdictionem, quàm ex baptiſmatis conſecratione? Si enim à ſolo baptiſmo ſacerdotij tota moles penderet Chriſtus non diceret ſuis iam fidelib'(vt qui illi fidem dediſſent) atque adeò ipſi Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quomodo enim ſe daturum Petro promitteret poteſtatem ligandi & ſoluendi, quam à fide ſtatim ſuſcepta recepiſſet aut fluminis, aut flaminis baptiſmate cõſecratus? (quoniam de baptiſmo fluminis nonnulli hæſitant.) Vtcunque ſit, erant tamen Chriſtiani, qui ex placito hæreticorum cõmunem clauium poteſtatem habebant. Non igitur promittendum erat, id quod iam tenebant. Ex quo patet manifeſtè, clauium poteſtatem minimè in baptiſmo conferri. Sicut ergo inter Chriſtianos clerici ſunt à laicis ſelecti: ita & ſacerdotes à non ſacerdotibus, qui aliquo genere conſecrationis ab aliis diſtinguuntur. Palam itaque eſt ſacrificio externo, quod Malachias apud Chriſtianos futurum prædixit, ſuum adhærere externum ſacerdotium: & in eam rem ex toto grege Chriſtiano ſeligendos fore ſacerdotes, ad hoc ipſum munus perpetuo tempore inſtituendos. Cui inſtituto cœlitùs orto & aucto, ipſa rei euidẽtia, to-

tia,totiusque orbis consensus, & concors sententia subscripsit. Subscripserunt, inquam, Dionysius in ecclesiastica hierarchia, eiq́ue contẽporaneus Clemens, Clementis successor Anacletus. Qui omnes vno consensu in hoc institutos sacerdotes pontificesq́ue asserunt, vt sacra administrent, debitum à subditis honorem obsequiumq́ue referant: cùm siue honor,siue iniuria,quæ eis defertur,in deum tãdem referatur. Subscribunt cum Tertulliano Cyprianus,sed & Gregorius Naziãzenus his verbis:
O sacrificia,inquit,mittentes incruenta sacerdotes.
O animarum custodes gloriosi.
O magni figmentum dei vestris manibus ferentes.

Sed & hoc ipsum Origenes profitetur: Egòne(inquiens)non subiiciar episcopo, qui mihi à deo ordinatus est pater? nõ presbytero,qui mihi à dei ordinatione præpositus est. Accedat & illud Cypriani: Qui Christo non credit sacerdotem facienti, tandem(sed serò)incipiet credere sacerdotem vindicanti. Addamus & istud ex diuo Chrysostomo sacerdotium externum miris laudibus efferente: Agitur in terris, sed officium cœlestibus negociis continetur. Non homo,non angelus, non alia quæuis creatura: sed spiritus sanctus hoc munus instituit,atque manentes adhuc in carne ministerio præstitit fungi angelorum. Denique nulla charta sufficeret, nec immensa volumina capere possent, quæ de huius sacerdotij constitutione ac commendatione omnes omnium ætatum ac locorum patres ac doctores posteritati memoranda reliquerunt. Hæc interim pauca,nobis esse debent instar plurimorũ.

Hinc apparet sacerdotij interni externique distinctiõe, eludi & elidi omnes cæcutientiũ hæreticorum argutias: vt cùm ex Apocalypsi proferunt: Fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus in terra. Vbi intelligendum est sacerdotium internum competere singulis hostiam viuam ac deo acceptabilem offerentibus, externum verò vniuersis pro toto partem intelligendo. Neque enim singuli Christiani regnant in terra, sed ex omnibus aliqui. Hoc intellexit Oecumenius ab externo sacerdotio ad internum progrediens. Primùm enim ait: Hæc etiam iuxta literam iam sortiuntur effectum, propterea & quòd reges & sacerdotes dei cultores ac fideles perseuerãt. De externo loquẽs, à quo iuxta spiritualem intelligentiam post literalem sensum ad interni sacerdotij declarationẽ progreditur. Vides igitur ex ipsis sacræ scripturæ fontibus hanc impudentissimorum, qui ima summis, & summa infimis confundere nituntur, hæreticorum elisam esse impietatem ac versutiam.

Sed ita impudentes sunt, vt nec seipsos, nec sua deliria agnoscãt. Quid enim stupidius cogitari potest hac ridicula, secumque pugnante collectione? Omnes (inquit excerebratus Lutherus) in vnũ corpus baptizati sumus, omnes in vno spiritu potati sumus: ergo ęqualiter omnes sumus sacerdotes. Sic colligunt statim à conuiuio benè poti hæretici. Sic & Ennius ille pater nunquam nisi potus ad arma prosiliit dicenda: Pulchra illatio, quæ cum ipso pugnat authore. Omnia membra vnũ corpus sunt, ergo omnia membra vnum sunt, & eandem functionem habẽt, nempe sacerdotalem. Et non videbat excæcatissi-

cæcatiſſimus iſte diuerſum omninò retuliſſe Paulum, oppoſitum videlicet cõcluſionis ſtare cum eo quod aſſumptum erat. Ait enim: Quanuis omnes vnum corpus ſumus, ſumus tamẽ varia membra: mẽbra verò non eundem actum habent: haberent autem, ſi omnes ex æquo eſſent ſacerdotes. Quàm non erat apud ſe Lutherus, cùm iſthæc cõmentaretur? Et cùm hæc tam putida prodat, audet ſe etiam inſerere aſtris, ac ſibi vni tribuere diuinorum arcanorum certiſſimam intelligentiam. A quo tantùm abeſt, vt illi credatur: vt potius auditurus ſit, quod ex Satyrico maximè illi competit:

Rideris, multòque magis traduceris Apher,
Addo etiam, & vafer:
Quàm nudus medio ſi ſpatiere foro.

Nullus, ſi creditur illi, eſt in ſua Babylonica colonia ordinum delectus: omnes paſtores ſunt & doctores, apoſtoli, euangeliſtæ. Denique etiam, ſi id optarint, legiſlatores, reges & imperatores. Ita tamen omnia ſibi pro libidine tribuunt, vt de eis dicatur: Ab eo qui non habet, etiam quod videbatur habere, auferetur ab eo. Et illud: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Atque vtinam ſaltem Chriſtiani nomẽ cum re vel minima ex parte retinerẽt. Proinde hoc in hæreticis Babylonicum chaos rudem indigeſtamq́ue confuſionem elegantiſſimè traducit Tertullianus his verbis lib. de præſcript. aduerſus hæreticos: Nihil enim intereſt illis, licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiã

pollicentur. Anté sunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticę quàm procaces, quę audeant docere, cõtendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorũ temerariæ, leues, incõstantes: nunc neophytos cõlocant, nunc seculo obstrictos, nũc apostatas nostros, vt gloria eos obligẽt, quia veritate nõ possunt. Nusquam facilius proficitur, q̃ in castris rebelliũ: vbi ipsum esse illic promereri est. Itaq; alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nã & laicis sacerdotalia munera iniungũt. De verbi autẽ administratione quid dicã? cùm hoc sit negocium illis, non Ethnicos cõuertendi, sed nostros euertẽdi: hanc magis gloriã captãt, si stantibus ruinã, non si iacẽtibus eleuationẽ, operẽtur: quoniã & ipsum opus eorũ nõ de suo ꝓprio ædificio venit, sed de veritatis destructione nostra suffodiunt, vt sua ædificẽt. Adime illis legẽ Moysi, & prophetas, & creatorẽ deum accusationẽ, & loqui nõ habẽt. Ita fit, vt ruinas facilius operẽtur stantiũ ędificiorũ, q̃ extructiones iacẽtium ruinarũ. Ad hęc solũmodo opera humiles, & blãdi, & summissi agũt. Cæterùm nec suis præsidibꝰ reuerentiã pręstare nouerũt. Et hoc est quòd schismata apud hęreticos ferè nõ sunt: quia cùm sint, nõ parẽt schismata. est eñ vnitas, ipsa. Mẽtior, si nõ etiã à regulis suis variãt inter se, dũ vnusquisq; proinde suo arbitrio modulat̃ quæ accepit, quẽadmodũ de suo arbitrio ea cõposuit ille qui tradidit. Agnoscit naturã suã: & originis suę morẽ, ꝓfectus rei. Idẽ licuit Valẽtinianis quod Valẽtino, idẽ Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidẽ innouare. Hactenus Tertullianus.

Tertullianus. Hi nimirũ ſunt fructus filiorũ Belial, quos vides priſcis hęreticis vnà cũ noſtræ ętatis veterũ errorũ nouatoribus per omnia conuenire, idq; adeò appoſitè, vt vix reperias ouum ſimilius ouo. Nunquam tamen in texendis (qua maximè pollent arte) cauillis finem inuenire poſſunt.

Aliam enim technã ſibi excogitauit impoſtor noſter anonymus atq; acephalus, qua ſcilicet vim canonũ eneruare poſsit. Hoc intereſſe cenſet inter legem & canonẽ (quam de moribus regulã dicimus) quòd lex obliget: canõ verò nihil aliud q̃ vel hortari, vel cõſulere poſsit. Et hic quid deſit ad impoſturam, principib⁹ ſolis vim obligãdi tribuit, paſtoribus verò ſuaſorios tãtùm canones. Qui niſi eſſet talpa cæcior, recordari ſaltẽ debuerat Chriſti ſententiæ dicẽtis. Quæcunq; ligaueritis ſuper terrã, erunt ligata & in cœlis. Quis nõ videt ligãdi poteſtatem traditã Apoſtolis: quibus vt ſoluere conceſſum eſt, ita & ligare? Rurſum, quis ignorat ſcriptũ eſſe: Placuit ſpirituiſancto & nobis nihil aliud vobis imponere oneris, q̃ vt abſtineatis à fornicatione, ſanguine & ſuffocato? Monentiſne hæc verba ſunt, an iubentis? Sed & Syllas & Timotheus pertrãſeuntes ciuitates, tradebãt cuſtodire dogmata: quæ erant decreta, (nẽpe vim legis habentia) ab Apoſtolis & ſenioribus. Quid iſtud: Spirituſſanctus poſuit vos epiſcopos regere eccleſiã dei? Atqui plus eſt regere, q̃ docere. Qui regit: ſuo iure ſtatuit, aut iubet. Qui docet: aut erudit, aut admonet. Ideoq; Chriſtus in Ioãne, Petrũ nõ tantùm paſcere iubet ſuas oues per verbum βόσκε, imò vero & regere per verbũ ποίμαινε: vt ſcias Petrũ non paſtorẽ tantùm, verũetiam recto-

rem fuisse institutũ:qui scilicet Christi oues & spõtaneas pasceret, & refractarias coërceret ac regeret.Sed quid apertius eo quod in Actis habetur 15. Paulus cum Sylla ecclesias confirmantes,præcipiebant custodire præcepta Apostolorũ & seniorum? An non vim habet obligãdi,qui ius habet præcipiendi?Si doctorum est exhortari & monere,erudire, suadere:quid reliquũ supererit pastoribus, nisi accesserit auctoritas præcipiendi?Imò longè arctius ligant decreta pastorũ,quàm leges principum:quãtò plus est animum stringere,quàm corpus. Nolite timere (ait Christus) eos qui occidunt corpus: & post hoc non habent quid faciant. Decreta verò ecclesiastica ad animam vsque perueniunt. Quis enim de peccatis aut cognoscit, aut iudicat,nisi ecclesiasticus iudex?Laicus certè legibus caret,quib⁹ mores animi cõstituere possit, vno gladio cõtentus, quo corpus feriat:ridiculus alioqui futurus, si falcẽ mittẽs in messem iuris canonici conscientiã adstringere tentet: satis habens, si occurrente materia, illi concedatur obuias tantũ spicas summis digitis conterere,iuxta sentẽtiam Gregorij in cap. Scriptũ est. 6.quęst.3.An non vim habet obligãdi,qui arcet excommunicatũ à cõmuni hominum cõsortio?Hac ratione non peccaret excõmunicatus, qui se sacris ingereret, nisi accedente mãdato principis. O impudentissimũ cõmentum.Oportebat igitur apostolum Paulũ Cęsaris auxiliũ implorare,vt efficaciter posset excõmunicare fornicatorẽ Corinthiũ. Aut quomodo non veniebat illi in mentẽ toties ex Paulo repetita sententia:Obedite præpositis vestris,& subiacete eis?Ex quo manifestum est penes prælatos esse

auctoritatē præcipiēdi, vbi apud subditos est necessitas parendi. Et hæc omnia excogitant ventris venerisq; mancipia, vt sibi licentiam vendicent potius quàm libertatem: cùm vera Christiana libertas nō seruitutem adimat, non vim legis obligantis. Neq; enim obligationem tollit Christiana libertas, quam etiam principum legibus fatentur esse obnoxiā: sed iugum seruitutémq; dæmonis à se abiiciens, eò potissimum tendit, vt occasiones peccatorū de medio tollat, procùlq; expellat. Sic alia pro aliis recipiunt, & licentiam cum libertate confundunt onagri isti iniuges se liberos natos esse putantes.

Agè igitur, splendidū huius impostoris mendacium ex vnius vetusti autoris Photij verbis refellamus, qui in posterioris ad Corinthios caput primū sic ait: Quatenus (inquit) Paulus opportuna adaptat iis, qui prędicationis sermonē susceperant: illi licet & statuere, & præcipere. Quod apertius declarans, subiungit: De prædicatione quidē Paulus neq; statuet, neq; promissionē faciet: sed tātùm prædicabit, ac ministrabit eo modo quo & segregatus, & missus est. Porrò de his quę opportuna sunt fidelibus, sed à Christo sancita non sunt, quæ & ipsa sunt spiritualia: & statuet, & discernet, sicut etiam prædiximus. Hæc ille. Vides vt Paulus etiā extra reuelata, potestatē habeat statuendi, iubēdiq;, legémq; ferēdi? Eat nunc impostor iste, & erubescat, dicēs leges tantùm esse principū, & canones suasorios præsulum. Quin & potestatem puniendi penes se habere docet Paulus eiusdem vltimo, cùm ait: Si venero denuò, non parcam. Cui succinēs Theodoretus, sic ait: His quidem qui deliquerunt, vt corrigantur: reliquis verò

omnibus vt testes sint, quòd nulla sit in me causa, si eos qui non resipuerint, puniero. Ideóq; ait: Nō parcam. Non ergo solùm potestatē habebat iubēdi, verumetiā & puniendi. Ideóq; Photius adiūgit: Si vos potestatē habetis aduersus spiritus immundos: ego multò magis potestatē habeo aduersus eos, qui impurorum dæmonū voluntates explere conātur, qui estis vos. Et super hoc verbo: Non possumus quicquam aduersus veritatem, sed pro veritate: sic ait: Nihil aduersus veritatem siue pietatem possumus, sed pro ipsa: vt eos qui iuxta ipsam non viuunt, supplicio cogamus, vt eam velint. Vides, vt Paulus sibi assumat potestatē coercendi: quam vanissimus iste nugator ab ecclesiæ præfectis adimere contendit? Et hanc se habere potestatē ingenuè profitetur, qui ait: Absens hæc scribo: ne cùm præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatē, quam dedit mihi dominus. Quem locum illustrans Photius, sic ait: Accepi potestatem, sed ad ędificationem. nam hoc ipsum, nempe punire peccantes, ædificatio ecclesiæ est: dum cæteri horum supplicio firmiores ac probatiores redduntur.

Sed istud pessimè habet Christianæ osores disciplinæ: qui cùm in reliquis oculatissimi videantur, in hoc vno Tiresię personā induunt, nihil aliud quàm noctem habētes in oculis, eámq; tam profundam: vt nec seipsos agnoscere, neque intelligere possint, vel quæ dicant, vel de quibus enuncient. Id quod vel ex hoc vno facilè colliges lector, quod impostor iste ait: Si (inquit) leges ecclesiasticæ parendi necessitatē imponerent, nulla cōsuetudine abrogari possent. Sed quis non videt argutulum istum eadem opera

impingere

impingere in legē ciuilem, cùm nemini dubium sit leges etiam ciuiles sæpenumero cōtraria consuetudine abrogari? Aut igitur neget subditos lege ciuili teneri: eo quòd abrogari possint: aut fateatur cauillum istud, nihil posse aduersus ecclesiasticos canones. Quid autē ineptius colligi possit, quàm si quis dicat: Quòd qua ratione aliqui canones abrogātur, eadem omnes posse cōtemni. Hac ratione efficeret, vt omnes tam ciuiles quàm canonicæ institutiones pro eorum qui subsunt arbitrio, negligi possent & supprimi: cùm ex vtraque classe canonum scilicet & legum ciuiliū, nonnullæ per non vsum contrariámve consuetudinem abrogentur. Sed hæc omnia comminiscitur, vt impietati sacrilegium peculatúmque adiungat: dum scilicet pestilētissimo suo ingenio sacra omnia & prophana, compositionem morū, pauperum fortunas, vniuersam ecclesiæ supellectilem ad tyrannicum principum vsum & arbitrium transferre nititur, nihil aliud quàm summatum gratiam demereri sperans, indéque priuatis & affectibus seruire & commodis. Hìc enim mihi dicant canonum acephali euersores, si in ecclesiastica disciplina constituenda omnes ex æquo se habeant, ita vt in totum exulet hierarchicus principatus: vbi in rebus fidei constituendis ac moribus componendis reperiri poterit tranquilla toto orbe Christiano concordia, & in controuersiis sedandis pacifica serenitas, cùm passim videamus reges & principes in sua quemque ditione supremos, nec alterum alterius ditionē agnoscere? Vbi ergo suborietur de fide aut morib⁹ quęstio: dum quod vni regno placet alteri displicuerit quis inter se pugnantia in fide moribúsq; decreta cō-

ponet,nisi adsit sacer aliquis principatus,qui silētiū huiusmodi concertationibus decernat,quiq; sua au thoritate quid tenendū,quidve fugiendū sit, legitimo saltē ecclesiæ cœtu cōgregato cōstituat? Verùm hæc sunt zizaniarū semina hominum mente corru ptorū: qui dicunt,vt delinquāt in semetipsis, corrupti scilicet & abominabiles facti in studiis suis, in hoc vnum intenti,vt furentur corda principū: quos ex aliena præda inescatos, in suam sententiam trahere nituntur. Futurum tamen est iuxta præsagium Sapientis: Vt cibos quos comederant, euomant: & perdant pulchros sermones suos.

Sunt & alia quædā insulsa prorsus atq; insipida, idq; adeò vt omninò sint indigna relatu, quin & secū manifestè pugnantia,quale est illud: Cùm edictū concilij Aphricani recipit, quo cauetur, quòd primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum,sed tātùm primę sedis episcopus: cùm tamen toto decursu neget aliquam primam sedem, cōtendens Apostolos fuisse per omnia auctoritate æquales. De vniuersali autem pontifice multa ex Gregorio comminiscitur,illud ignorans,qua mēte se vniuersalem aut esse negauerit,aut appellari detrectauerit: cùm satis constet ex ipsius Gregorij dictis Petrum Petrique successores curam habuisse super cæteros, ideóque superintendentia vniuersales dici posse,cùm pręsint vniuersis,vt pastor ouibus. Quòd autem negat se esse vniuersalem: in hoc suam mentem declarat, quòd singulis etiam inferioribus sua iura suásque functiones liberas esse permittit. Qua mente se vniuersalem esse negat: vt qui non velit cæterorum ambire officia, sibique vni omnia tribuere

buere. Ideoque merito obiicit: Si ego vniuersalis essem, quid aliis reliquum superesset? Rectè igitur negat se vniuersalē per vsurpationem functionis alienæ, qui tamen cura suprema summaque administratione vniuersalis nomen non renuit.

Neque his contentus, aliam calumniā texere conatur: prærogatiuam Petri, aut localem, aut certè personalem esse contendens. Personalem ita eludit, vt dicat eam interiisse cum persona: localem verò, vt neget eā affixam esse loco. Sed hallucinatur nescio quo oculorum glaucomate in stuporem versus, in trimembri sectione duo tantum segmenta enumerans. Est enim alia prærogatiua extra personalem & localem profectitia in posteros. Qui enim voluit ecclesiam Petro regente gubernari, seque illi affuturum pollicitus est vsque ad consummationem sęculi: nemini dubium esse potest, quin hoc regiminis genus Petro decedēte trāsmigrare voluerit ad successores. Perseuerabit igitur sacer iste principatus vnà cum ecclesia Christi sponsa ad finem vsque sæculi. Quod per se liquidum perspicuumque Tertullianus agnouit, ita referens:

Aedant origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamē cum Apostolis perseuerauerit, habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum: id & proinde vtique & cæteræ exhibent,

quos

quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Hæc ille. Iam quis nescit Saulem, ex quo regno inauguratus fuerat, sibi suæque posteritati ius acquisiuisse, nisi indignũ se oblata gratia reddidisset, dicente Samuele: Parauerat dominus regnum tuum super Israel perpetuò, sed iam non erit firmum regnum tuum? Cùm igitur Petrus nihil commeruerit, vt ordo ille ecclesiasticus à sua posteritate transferretur: quis iam dubitet ad finem vsque perseueraturũ huiusmodi sacrum in ecclesia principatum? Neq; in hoc sibi Clementem delegisset, si intellexisset huiusmodi regimen ex diuino placito posteris minimè fuisse reseruatum.

Aliam supprimendi in ecclesia magistratus ansam arripiunt, vt iugum à se disciplinæ excutiant. Christianæ osores pietatis ex eo, quòd non vno loco scriptum est: Reges gentium dominãtur earum; vos autem non sic. Quæ verba si plenè excusseris: prælaturam in ecclesiã statuere potius, quàm supprimere, intelligi possunt. Qui enim ait: Qui maior est inter vos, fiat sicut minor. Haud dubiè significat aliquem esse præficiendum statu & conditione maiorem: quem tamen ita instituit, vt se eo demissius gerat, quò se maiorem agnoscit, iuxta illud Sapiẽtis: Quantò maior es, tantò te humilia in omnibus. Porrò aliud est à præfectura tyrannidem arcere, dominandique libidinem temperare: aliud omnino supprimere primatum. Nam si suo exemplo iubendi facultatem, magistratumque exercendi eximi voluisset, à seipso etiam abdicasset primatum: quod tantum abest vt fecerit, vt alio potius loco dixerit:

Vocatis me magister & domine, & benè dicitis: sū etenim. Qui ergo sibi magistratū retinet: suo exēplo non supprimi, sed temperari voluit. Vt scilicet intelligat qui præest, in hoc se institutum, magis vt prosit, quàm vt præsit: & vtilitati potius publicæ, quàm vt priuatis seruiat affectibus. Neque alios pastores negat diuus Petrus, qui Christum principē pastorum appellat. Paulus in hoc institutos censet episcopos, vt pascant gregem dei. Et Christus ipse summum pastorē instituit, qui ait: Pasce oues meas. Nec dicit: Qui maior est, fiat minor: sed, sicut minor: & qui dux est, sicut ministrator. Porrò aliud est esse minorem, quàm esse minori similem. Vnde nec Christus non se seruum appellat, sed sicut qui seruit. Dominandi igitur appetitum domat potius, quàm præcipiendi facultatem adimat. Et inde vsu receptum est: vt summi etiam pontifices se seruos seruorum dei palàm profiteātur. Qui autē se seruū seruorum dei constituit: interim minimè diffitetur suam erga rebelles autoritatem, qua possit eorum domare petulantiam. Id quod Paul⁹ de seipso profitetur, dicens: In promptu habentes vlcisci omnē inobedientiam qui nihilominus se ex charitate seruum constituit. In summa non in aliud hæc verba (vos autē non sic) exprimere Christus voluit: quàm vt qui in ecclesia constituuntur rectores, & dominentur regendo, & seruiant obsequendo: & regant vtiliter potius, quàm imperent violenter: vt honorem (quantùm in se est,) à se ablegare studeat humilitas, iustum tamē (si ita res exigat) negocium nō subterfugiat charitas. Idque per omnia verum sit, quod Paulus ait: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo,

ue Apollo,siue Cephas,nō tam vestro imperio subdita,quàm ad vestram vtilitatem procurandam legitima autoritate remanente, instituta & directa. Neque enim pugnant inter se, seruitus ex charitate,& ius imperandi ex præfecturæ dignitate. Quin & eos regnare voluit,qui ait: Dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Id quod non solùm ad æternæ beatitudinis præmium referri potest, imò etiam ad ecclesiasticum euangelicumque regimen,quod à Christo institutum esse constat ex Luca in Actis, qui ait cōuersatum fuisse Christum cum Apostolis per dies quadraginta,ac per id tempus longum de regno dei statuendo protraxisse colloquium. Ait ergo:Dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mēsam meam in regno meo: adepto scilicet statu immortalitatis statim à resurrectione. Quę verba referri possunt ad Eucharistiæ sacramentum. Cui & illud alludit,quod Petrus ait: Nobis quoque visus est,qui manducauimus & bibimus cum illo. Nec mirum, si cathedra Petri succedat cathedræ Moysi, adiecta etiam imperandi facultate ac præcipiendi,cū Christus ipse dicat:Quæ dicunt, facite. Qui ergo iubet imperata facere in Moysi cathedra:nemini dubiū esse debet, quin idē ipse obtemperādi necessitatem imponat his, qui sedi Petri subiiciuntur. Nō ergo eluditur tātum, quā in nos torquēt pseudographa ratiocinatio,imò verò potius in eos retorquetur. Hoc certè perpetuo ac peculiari vitio laborant hæretici, vt vix vnū aut alterum scripturæ locum proferant, quòd non sit præposterè inductum, aut corrupta intelligētia deprauatum. Ita excæcauit eos malitia eorum, vt quæ

obſcurè legunt, corruptiſſimè interpretentur. Vt cùm ita colligunt: Chriſtus aſcendens dedit dona hominibus: omnes igitur huiuſmodi dona indifferenter in ſe recipiunt, quicunque ſacri baptiſmatis vnda abluti ſunt. Sed non aduertunt id quod continuo ſequitur: Alios dedit prophetas, alios euangeliſtas, alios paſtores & doctores. Non igitur omnibus omnia, verùm aliis alia diſtribuit vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Corpus quidem vnum eſt, membra autem multa: quæ membra non eundem actum habent. Malè igitur & contra ſententiam Pauli colligunt, qui omnes in donis æquales eſſe volunt, quos variè Paulus ſecernit & diſtinctè: quæ diſtinctio maximè facit ad ædificationem corporis Chriſti. Quid enim pernicioſius aut audiri poteſt, aut videri: ſi omnes ex æquo imperare velint, & nullus ſit qui obtemperet? Quod facile futurum eſt apud eos, qui dicant ſe eſſe poteſtate pares: in quibus iubendi ſit æqua poteſtas, parendi nulla neceſſitas. Sic ſolent exoculati iſti hæretici ad obuium quęque offendere lapidē. Quod quidē feciſſe eos, vti aliâs ſæpius omni numero, ita & in proximo, quod excutiendum ſe offert, argumento perſpicuè demonſtrabimus.

Debuerat ſaltem diuus Petrus, paſtor vnus vrbis & orbis, ſuis armis tectus & protectus, viperarum iſtarum virus, ſibilos, ac morſus illęſus euadere. Quæ tamen non ſatis habuerunt per mendicata vndecunque aliena ſuffragia duram illi imponere ſeruitutem: niſi ipſum vnà cum ſuis ſucceſſoribus laicis Ethnicisque principibus ſubiectioni ſeruitutiq; addictum fore comprobarent: idque ex propriis

priis Petri teſtimoniis, telisque ex ipſius officina depromptis, quibus (vt falſo exiſtimarūt) muniti ac ſuffulti, eum ipſum hoſtiliter inuaderent. Proferūt itaq; id quod ſcriptū eſt prioris ſuæ epiſtolę cap. 3. Subiecti eſtote omni hūanę creaturę propter dn̄m. Et inde colligunt oportere quotquot ſunt, fueruntve, aut futuri ſunt in orbe Chriſtiano, ſummi etiam ſacerdotes, Cæſareis prophanisq; legibus eſſe ſubiectos. A quo aut parū, aut nihil, diſſidet illud Pauli in Romanis cap. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à deo. Itaque quisquis reſiſtit poteſtati, dei ordinationi reſiſtit. Sed hoc habet peculiare pſeudographorum cæca temeritas, vt plerunque contra ſe arma proferat. Fatemur quidem omnes ſuis ſuperioribus in ſuo quemque ordine eſſe ſubiectos. Quo fieri neceſſe eſt, vt oues paſtorem agnoſcere debeāt in ſpiritualibus: vt & in temporalibus beneficiarij quique, & in rebus titulo prophano acquiſitis, dominis ſuis fideles eſſe debent & ſubiecti iuxta rei, de qua agitur, exigentiam. Vt ergo non denegamꝰ ſubiectionem principibus debitam: ita nec ipſi negare aut poſſunt, aut debent legitimam à principibus ad paſtores obedientiam. Nō enim eſt poteſtas niſi à deo, ſiue ſecularis ſit illa, ſiue eccleſiaſtica. Oportet ergo in ſuo quemque ordine, ſuo ſuperiori ſubeſſe: cui ſi quis reſiſtit, dei ordinationi reſiſtit. Hinc rectè Photius ait: Non hæc de quocunq; principe, ſed de ipſo principatu. Quoniam enim honoris ac conditionis æqualitas in omnibus, ſeditioſa res erat, deus poteſtates adiunxit. Quid ais, inquit? Eſt princeps omnis à deo traditus? Non hoc dico,

neque

neque mihi nũc de singulis principibus sermo, sed de reipsa. Principatus enim esse, & hũc quidem gubernare, alium verò gubernari, nec omnia sursum ac deorsum ferri: diuinæ sapientiæ opus esse dico. Siquidem non dixit: Non est princeps: sed, Non est potestas nisi à deo: Hæc ille. Nihil ergo hinc aliud colligitur, quàm quòd oporteat singulos singulis suis maioribus in suo quemque ordine esse subiectos. Prælatis igitur suus honor debetur, de quibus idem author ait: Data nobis est potestas in ædificationem, & nõ in destructionem. Nam etiã si prælatus malus est: ordo tamen, & à deo ordinata potestas, bona est. Quapropter malo etiam sacerdoti parendum est. Parendum itaque potestati legitimè præcipiẽti, siue bonus sit qui iubet, siue mal⁹. Quod cùm verum sit: istud nihil adimit de libertate sacerdotali, quam duplici ratione liberam fuisse cõstat. Siquidẽ sacerdotium multis nedum annis, verumetiam sæculis pręcessit regnum, idq; ex diuina institutione. Quod cùm successerit sacerdotio: mansit integra & illibata ordini sacerdotali sua libertas & immunitas, imò & spiritualis super reges & regna auctoritas. Sic fit, vt sacer principatus à prophano immunis sit: reseruata tamẽ subiectiõe quadam in his, quæ titulo ciuili possidentur, iuxta sententiam Augustini in cap. Quo iure. distinct. octaua. Id quoque perspicuum euadit ex verbis Christi dicentis: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt dei deo. Nemo enĩ est, qui neget omnia ad dei possessionem pertinere, siue sacra illa fuerint, siue prophana: quocirca intelligendum est ex his verbis, delectum aliquẽ significari inter ea, quę titulo sacro

ſacro poſſidentur:vt ſunt res & perſonæ deo dicatæ,& quæ ciuili & prophano aut acquiruntur, aut acquiſita tenentur. Sacra autem deo reddēda ſunt, non Cæſari.quo fit,vt Cæſaris ditionem minimè agnoſcāt.Sed quid opus eſt multis?cùm & ipſe Paulus in Corinthiis omnino non admittat, vt ſancti iu dicentur à prophanis: quin potius aliud tribunal conſtituit, ſub cuius legibus ſanctorum cauſæ terminari debeant. Nō ergo cenſet omnes in omnibus Cæſareæ poteſtati eſſe ſubiectos: hoc ſolum intendens, vt ſuum quisque ſuperiorem in ſuo ordine & reuereatur & agnoſcat, ouis ſcilicet paſtorem, & quiuis ſubiectus ſibi deſignatum aut principē, aut magiſtratum, infra ſuæ ſubiectionis limitem & ordinem.

Quis autem ordo ſeruandus ſit in rebus ecclesię à principibus collatis, præter ea quę rectè diſſeruit Cardinalis Eduenſis Petrus Bertrandus aduerſus Petrum de Cuneriis:nos quoque in axiomate de ecclesia latius huiuſmodi argumentum tractauimus. Qua in re diutius immorari,non eſt huius ocij. Facile eſt ex his diui Petri mentem aſſequi:qua probè intellecta,lector intelliget à parte noſtra potius ſtare diui Petri oraculum, quàm cum aduerſariis aliquid habere commune.Sic ergo Petrus ait: Subiecti eſtote cuiuis, in ſuo ſcilicet ordine. Neque enī vult omnes omnibus eſſe ſubiectos, vtpote ſummos infimis,& æqualibus æquales: ſed cuiuis per indifferentiam, prout exigit ordo legitimus. Humanæ autem creaturę nomine,modo conſtitutio humana, modò verò magiſtratus ab hominibus deſignatus intelligitur. Vult ergo vnumquēque eſſe ſubiectū & con-

& constitutioni & magistratui legitimè designatis, & id quidē ordinatè, prout ipsa ratio exigit: vt scilicet fas & iura sinūt. Sic fit, vt qui iure diuino exēpti sunt, pro exemptis habeantur: qui verò subiecti, se subditos agnoscere debeāt. Imò & istud grauissimè flagellat refugas, constitutionumq́; ecclesiasticarum desertores: cùm eos Petrus velit esse subiectos cuiuis etiam humanæ constitutioni, si non propter hominem, saltem propter dominum, qui ait: Quæcunque ligaueritis: &, Quæcunque solueritis. neque his solum, sed etiam regibus & prȩsidibus, idq́; (vt Oecumenius ait) propter dominum, idest, quemadmodum dominus iussit. Quid autē præcepit dominus? Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quȩ sunt dei deo. Itaque in eo quod iusserint extra deum, id est, quod prȩter siue contra dei cōstitutionem est, non est ipsis obtemperandum. Hæc ille Oecumenius. Ex quo perspicuum est, non esse parendùm prophano principi, si fortè vrgeat aut exigat aliquid præter concessam à deo libertatem: nisi quòd toleranda fortè erit vis aut iniuria tantùm, vt offendiculum redimatur: propter quod vitandū Christus dominus non dedignatus est soluere tributum, cùm tamen liber esset. Alioqui prius est (vt etiam hoc loco dicitur) quòd deum timeamus: posterius autem, quòd regem honorificemus. Sed audiant (quæso) filij Belial petulantissimi, quo telo Petrus eos inuadat, qui ait: Tāquàm (inquit) liberi, nō velamen habentes malitiæ libertatem, sed tanquàm serui dei. Vbi & Oecumenius ait: Liber secundum dominū est, qui nulli absurdæ rei obtēperat. Quoniā ergo in simulatione vitam transigere non liberi

f est, sed

eſt, ſed eius qui affectibus ſubiect⁹ eſt, ſiue aſſentationis, ſiue cuiuſuis alterius turpis voluptatis: propter quæ etiã ſimulationem prætẽdit quiſpiã, ne id appareat quod eſt, & quib⁹ ſeruire ſuſtinuit (hoc autẽ extraneum eſt, & à dei famulis alienũ) præcipit nunc ſubiectionem principibus, veris & non fictis moribus exhiberi: ne nos hoſtiliter erga illos habentes, quaſi coactã exhibeamus ſubiectionem: quumq́; talis lateat in nobis malitia, quod certè ſyncerum eſt ac ſimplex, faciamus prætextum ac velamentum morum, apparentem ſubiectionem exhibẽtes, & non eã quæ ex affectu procedit. Hæc ille. Sed q̃ longè abſint ab hac diui Petri conſtitutione, ſol ipſe teſtis eſt, qui cuncta perluſtrat: quo cunctis etiã lippis perſpicuũ ſit, nihil aliud apud ſectarios iſtos ſub falſo libertatis titulo vſum recipi, q̃ ſceleratum quiduis & impiũ ac multis nominibus infame: apud quos ſcilicet eſt eccleſia nupturiens, inceſtuoſum connubium, fœdifragũ cõmerciũ, violati infamia voti, ſacrilegia, furta, rapinæ, fraudulentæ rerũ ſurreptiones, quales nec Turcæ Meſchita ferret, nec Iudæorum quantũuis impia ſynagoga. hoc ſcilicet eſt Chriſtum induere, libertatem aſſerere Chriſtianã, & charitatẽ ſectari. Egregia ſcilicet libertas, vbi nulla aut diuini, aut humani iuris, habetur ratio: vbi fasq́; nefasq́; nullo diſcrimine habentur: vbi etiam quidquid libet, licet, plusquàm apud Barbaros. Nec pudet eos gloriari, ꝙ ab eis exiuit lex, & verbũ domini de ſua(quã ſibi arrogant) Hieruſalẽ. Id autem verius, eſt q̃ aut credant, aut velle debeant. Exiuit certè ab eis lex verè catholica, quã ſibi retinere debuerant: & ita exiuit, vt vix aliquando

quando credatur reuersura, cùm ex catholicis facti sint hæretici. Relegata enī est ab eis fides, religio, pietas. In quorũ subiere locum omnium colluuies scelerum, luxus & impietas, pro lege licentia ferri, neglectus superum cultus, fraudesq́; doliq́;. Deniq; vltima de superis terrã hanc astræa reliquit: Quare deploranda potius est eorum calamitas, ꝙ scilicet à suis potius synagogis, quàm ecclesiis, exierit & abierit lex: syncerũq; dei verbũ, fece tãtùm apud eos remanẽte, longius exulauerit. Vide igitur q̃ malè Petrum audiant, quem nobis ipsi obiiciunt, qui ait: Nõ quasi velamen habentes malitiæ libertatẽ, sed serui facti dei. Sed hactenus, vrgente rei, de qua agitur, indignitate, digressum sit: reliqua prosequamur, quæ etiã ad stabiliendã aduersus hęreticorum insultus laicorum principum iurisdictionem cõducere poterunt, & negocio, de quo ad præsens agitur, inseruire.

Statim ab ipso infœlicissimo Lutheranismi exortu, vixdum adulta segete, euestigio exoriri & emergere cœpit Anabaptistarũ portẽtosa colluuies: quæ nõ ita multò post suæ impietatis signa ostẽdit in peius semper proficiens, & parentum impietatẽ longo interuallo post se relinquens, nempe mali (vt dici solet) corui ouũ pessimũ. Hac prole infœlices iuxtà ac infames Lutherani cõceperunt laborẽ, & pepererunt iniquitatẽ: oua aspidũ ruperũt, & telas araneæ texuerunt: ita vt qui comederit de ouis, moriatur: & quod confotum est, eruperit in regulum. Telæ eorum nõ erunt in vestimentum, neq; operiẽtur operibus suis. Opera eorũ opera inutilia, & op' iniquitatis in manibus eorũ. Pedes eorũ ad malum

currunt,& festinãt:vt effundant sanguinẽ innocentẽ.Cogitationes eorũ,cogitationes inutiles. Vastitas & contritio in viis eorũ. Viã pacis nescierunt,& nõ est iudiciũ in gressibus eorũ. Semitæ eorum incuruatæ sunt eis:omnis qui calcat in eis,ignorat pacem.Isaiæ.59. Successerunt igitur Anabaptistæ Lutheranis,tempore quidẽ posteriores,iniquitate verò & impietate aut æquales,aut (si detur maius maximo)deteriores. Hi, quod adhuc quadantenus intactum reliquerant Lutherani, euertere studuerũt: vt residuum locustæ comederet bruchus,bruchíq; reliquias ærugo tandẽ ærumnosa consumeret. Illi siquidem adimunt gladij spiritualis vsum: isti verò aciem tẽporalis obtundere,atq; ita hebetare cõtendũt, vt aut modicus aut nullus apud principes vsus supersit. In pangendis fœderibus iurandi facultatẽ auferunt.Obedientiæ neruũ,iuramentũ scilicet fidelitatis,neq; admittunt, nec religiosè admittendũ cẽsent. Deniq; huius nostri sæculi Thraces fœdera nesciunt:qui ne sine causa insanire videãtur, vno se clypeo protegentes,aiunt omnem iurandi facultatẽ à Christiana professione(autore Christo) prorsus adẽptã. In qua saliua educati, quidquid ab hoc gustu saporéve diuersum est, etiã cum horrore expuunt,nullã interpretationem admittentes quantũuis aut piam aut rectam,ex ipsis etiã scripturæ fontibus haustã,priscorúmve patrũ cõsensu & autoritate probatã. Quo fit,vt nulla Aethiopes illi,lotione albescere possint:seu calidã illis adhibeas, siue frigidam. Pilum quidem mutant ingrauescente saltem ætate lupi:illi nunquam mentem.

Quibus valere iussis:in eorum saltẽ gratiã, qui culturæ

culturę patiētes ſunt,necdū penitus ſunt deplorati: exploranda eſt (diuino prius implorato fauore, vt ſcilicet ſecundum eloquium ſuum nobis dignetur donare intellectū) hui⁹ loci recta & ſana intelligētia: Nō iurabitis omnino, Matthæi quinto. Quorū verborum ſanam interpretationem habere qui volet, primùm illud apud ſe conſtituat, ſeruandū eſſe quod Chriſtus ait: Nolite ſecundū faciem iudicare, ſed rectum iudicium iudicate. Quod tum demū haberi poterit, ſi oraculum iſtud nobis præfigendū duxerimus, facta Chriſti ac ſpiritualiū virorū, eſſe Interpretatiua dictorum. Inde enim ſequutū eſt, ꝙ ad præceptū: Nō occides hæc acceſſerit interpretatio totius eccleſiæ recepta conſenſu. Nō occides (inquam) auctoritate propria: quando publica auctoritate, licitam fuiſſe ac eſſe ſanguinis effuſionē ſanctorū facta ab omnibus etiā commendata docēt. Deinde vſquequo illud progrediatur, quod Chriſtus ait: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: & Chriſti & diuorū geſta oſtendunt etiā omnium ore laudata. Chriſtus enim ſuo ipſius facto docuit, quatenus ira ſuſcipienda ſit, qui ait: Væ vobis hypocritæ Phariſæi &c. Et ad Petrum non ſine exacerbatione inquit: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi. Proficiſcentesq; in Emaus ſeuerè reprehendens ſtultos appellat, vt diuus Paulus inſenſatos Galatas. Ex his itaque laudabiliter dictis & geſtis, ſpiritu ſancto afflata eccleſia colligit hæc Chriſti verba: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, hanc demū interpretationem recipere, vt ſubaudiendum ſit, temerè & citra cauſam. Quid plura? Idē ipſe qui cenſuit percutienti in vnā maxillam, dandam eſſe &

alteram: ſuo facto interpretatus eſt id non eſſe perpetuò obſeruandum, niſi dum euangelicæ vtilitatis vſus pro loco & tempore id exigit. Ideoque rectè ab initio pronunciatum eſt, virorum ſpiritualium geſta, dictorum interpretationem ſecum adferre. Dum ergo Chriſtus ait: Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, neque per terrã: qua mente iſtud intelligendum veniat, dei ac diuorum facta, eccleſiæ Chriſti ſponſæ (cui ſponſus ſemper adeſt) interpretatio, apertiſſime docent, quòd ſcilicet non prohibeatur iuramentum in omnem euentum: quando & deus ipſe in veteri, & angelus in Apocalypſi, & in euangelio Chriſtus, & in pleriſque locis Apoſtolus, iuramento non aſſertorio tantum, imò & execratorio, ſed & in futurum promiſſorio vſi ſunt: ſcilicet Geneſis. 22. & . 26. Pſalmis. 94. 109. & . 131. recenſeturq́; in Hebræis cap. 6. Non ſum tamen neſcius aliam eſſe in deo iurandi rationem: vt qui nihil niſi certiſſimũ iuret, req́; ſibi ſemper præſentẽ affirmet, & cuius ditioni nutuiq́; ſubiecta ſint omnia. Hoc tamen colligitur, iuramento viam nobis non eſſe præcluſam in rebus potiſſimũ ſeriis & honeſtis. Id enim ſuo exẽplo Chriſtus credibile fecit, qui in pleriſq; locis ait: Amen, amen: &, In veritate dico vobis. Id enim plus eſt, q̃ ſi quis dicat: Eſt, & non, id aſſerente Paulo in Corinthiis poſteriore primo: Quotquot ſunt dei promiſſiones, per ipſum ſunt etiam, & per ipſum ſunt amen. vbi, amen, addit ſupra vocabulum, etiam. Poſſumus ergo adiungere aliquid vltra, eſt, & non. Sic fit vt hæc verba: Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non: aliquã recipiant interpretationẽ. Paulus autem aſſerendo iurat, qui ait:

Teſtis

Testis est mihi deus. Atque etiam imprecatorie, cũ ait: Ego autẽ testem deum inuoco in animam meã, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthũ. Quis iam neget facta esse interpretatiua dictorum?

Nec in præteritũ tãtũ iurasse reperit Paul⁹, imò etiã & in futurũ(quod Anabaptistæ furiosi contẽtiose abnegãt) qui posteriore ad Corinthios vndecimo, ita obtestans loquitur: Est veritas Christi in me, qm̃ hæc gloriatio nõ ĩfringet in me in regionibus Achaię. Quare? Quia nõ diligo vos? Deus scit.

Sic ergo interpretatur ecclesia hæc verba: Non iurabitis omnino: quasi ita aliquis dicat: Præcipio vobis, vt omnino cautè ac circunspectè iuretis, si quando id necessitas, honestas, & vtilitas exigat. Id quod ex gestis virorum, qui spiritussancti afflatu vsi sunt, legitime constat. Caute inquã, non leuiter. Non enim insontem habebit dominus eum, qui in vanũ nomen domini assumpserit. Deinde iubeo caueri frequentiã iurandi: quia vir multũ iurans replebitur iniquitate. Caueatur etiã periculũ peierãdi. Scriptum enim est, Iurationi ne assuescat os tuũ: multi enim sunt casus in illa. Caute insuper, ne dubia pro certis asserantur: vt id quod est, ex certo sci licet & liquido, affirmetis: & id quod nõ est negetis, ambigua alioqui & dubia in medio relinquẽtes. Qui enĩ in ambiguo iurat: eũ offendit, qui iubet red dere domino iuramenta sua. Quibus verbis obligamur reddere domino ius veritatis debitum. Vt sic intelligas, Sit sermo vester: est est, non non: hoc est, vestrum est, sit est: vestrum non, sit non: vt quod vere est, affirmetis: quod vere non est, negetis. Aliàs, Sit sermo vester, est: hoc est, ita vos geratis,

mutuóq; conuersemini: vt nō sit opus aliis verbis, q̄ ad firmanda negandáve simpliciter, aut asserere, aut inficiari. Quòd si amplius progrediēdum erit, id quidem á malo est vestræ infirmitatis humanæ: atque etiá ab ipso dęmone, qui verè malus est, consueta nequitia huiusmodi infirmitatem suggerente. Hic ergo euangelicæ intelligentiæ murus aheneus esto: Non iurabitis omnino: vt si iurādum est, omnino cautè iuretis. Qui enim iurat rem alioqui certam: in luce quidē, sed in lubrico ambulat. Ideo cautione illi opus est, ne cadat: vt scilicet reuerēter iuret pro re certa, sibíq; aut ei cui iuratur, aut Reipublicę vtili, & id quidem extra semper & frequēter. Quis igitur dicat omnino non esse iurandum, quando iubemur reddere domino iuramenta nostra? Quomodo enim reddet iuramenta domino, qui in totum iurare vetatur? Iuramentum (vt ex dictis colligi potest) extra gradum eorum est, quæ sunt per se bona: quæ scilicet quò sæpius repetuntur, eo melius. In his frequentia laudatur, quę in iuramento vitari iubetur. Omnino igitur cautè iurandum est. Sic fit, vt omnino prohibeatur iuramentum per se. Non ergo iurabitis omnino per se, & ex se: & si iurandum erit, nō quidem ex se, sed ex causa vrgēte, omnino caute iurabitis. Et hæc est plena intelligentia huius loci: Non iurabitis omnino, per se inquam: & si iurandum est, omnino cautè erit iurandum. Hanc nobis intelligentiam dederunt & gesta sanctorum, & ecclesiæ diuino spiritu afflatæ intelligētia, quæ nō paucis declaratur in cap. Et si Christus. De iureiurando.

Vnū superest offendiculum è via tollere. Christus ait:

ſtus ait: Nō veni ſoluere legem, ſed adimplere eam: hoc eſt, vetus mandatum adaugere nouo. Qua aſſertione idem minimè contētus, hoc etiam adiecit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnū cœlorum. vbi comparat iuſtitiam non Phariſaicæ ſimulationi, aut ignorantiæ, aut iniquitati, ſed veræ eorum iuſtitiæ. Plus quàm Scribarū (inquit Chryſoſtomus) non iniquorum: quia non ei, quæ nō erat, comparaſſet illam iuſtitiam quę erat. Plus etenim & minus, eiuſdem generis ſunt. Ergo de iuſtitia vtrobique ſermo eſt: vt ſcilicet abundet iuſtitia noſtra ſupra eorum iuſtitiam, ſecluſa (qua frequenter laborabant) iniuſta, aut ſimulatione, aut ignorantia. Ex quo colligitur præceptum euangelicum abundantius nos obligare, quàm veteris legis mandatum. Ac proinde dicendum videtur illud eſſe in præcepto: Sit ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non. Sicque fieret, vt nullo modo ſit iurandū. Nam ea quæ prędicta ſunt de cautè iurando, deque non appetendo per ſe iuramento: ea inquam omnia comprehēduntur ſub obligatione legis veteris. Si quid igitur addēdum erit ex euangelico pręſcripto, iſtud erit: Nullo modo iurare.

Ad id prompta eſt reſponſio, quòd omnimoda abſtinentia à iuramento, ad conſilium pertinet potius, quàm ad præceptum. Quam ſi quis obſeruare volet, abundabit iuſtitia plus quàm Scribarum & Phariſæorum. Iuſtitiam appello non obligantē tantùm, verùm eam etiam quæ ad ſupererogationem pertinet. Quod ex verbo Chriſti patet: Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis corā hominibus. quo nomine ſupererogatio eleemoſynæ comprehenditur.

Augetur

Augetur itaque iuſtitia veterum in mandatis euangelicis, partim declaratione, vt cùm dicitur: Dictum eſt antiquis: Odio habebis inimicum. moxq; adiungitur: Ego autem dico vobis, diligite inimicos. Partim correctione, vt in libello repudij. Partim verò conſilij ſupererogatione, vt hoc loco: Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, nō. Et alio loco: Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe illi & alterā. Et de pallio præſtādo ei, qui tunicam abſtulerit. Quæ tamen ad præceptū pertinent, ſaltem in præparatione animi, iuxta verbū Auguſtini, in c. Paratus. 23. quęſt. 1. Quod præceptum aliquid addit ſuper præceptum veteris legis, ſaltem quoad declarationem. Hac ego mente crediderim excipiendum eſſe Chriſti oraculum, dicentis: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Ad hæc dicturus eſt Anabaptiſta: Si mihi conſulitur à domino nullatenus iurare, quis me cogere poterit ad iuramentum aut obedientiæ, aut fidelitatis, cùm Chriſtus mihi conſulat ne id faciam? Ad quod reſpondendum, opus conſilij aliquando cedere neceſſitati præcepti, cùm ſcilicet ad id inuitamur publica neceſſitate. Huc enim reſpexit Chriſtus, qui ait: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Vbi ſacrificium, quod excellentius eſt, voluit cedere operi eleemoſynæ neceſſario. Hic igitur cùm per ſe melius ſit non iurare: fieri tamen poteſt, vt publica neceſſitate adacti, compellamur ad præſtandum iuramentum. Cogitandum interim nobis eſt, vt quàm fieri poſſit, proximè accedamus ad ipſiſſima verba legis euangelicæ. Vti enim dici ſolet,

Purius

Purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Vt ergo propius ad verbum Christi ac reuerentius accedamus, nihil admittendum iudico, ad quod necessitas publica non vrgeat. Quocirca præstiterit non admittere aliqua pro futuris affirmādis sub diuino testimonio iuramenta, quibus deus assumatur in testem: cùm sufficiant execratoria iuramenta pro securitate obedientiæ præstandæ, aut percutiendis fœderibus siue cum extraneis & barbaris, siue cum summatibus mediis & infimis, siue etiam pro litibus & controuersiis terminandis, vtpote sub interminatione diuini iudicij, aut quacunque imprecatione in euentum fraudis & doli, aut cuiusuis simulationis. Hac ergo mente accipienda erunt promissoria per deum iuramenta, vt attestentur præsentem adesse intentionem exequēdi quod promittitur: aut certè se submittēdi diuino iudicio, aut vindictæ, si in culpa moráve fuerit promittēs, per quā min⁹ exequatur quod promissum est. Vt si quis diceret: Per deū polliceor me facturum. Perinde ac si dicat: Ita me deus amet, aut adiuuet id facientem: iudicet aūt aut puniat id facere negligentē. Plena est scriptura huiusmodi exemplis. Vt cùm legimus: Hęc mihi faciat dominus, & hæc addat. Quibus verbis promittens, deum in se appellat iudicem & vindicem, si præstare neglexerit quod pollicetur. Nunquam tamen asserit æqua certitudine quod futurum est, vt scit & credit sibi constare diuinam veritatem. Sic ergo intelligere possumus non esse iurandum per deum assertoriè, bene autem imprecatoriè. Nulla interim recipiatur conditio de abrenuncianda fide: quam nullo periculo adactus diu⁹ Ludouicus, cùm in cōfi

nio

nio vitæ & mortis constitutus esset, recipere voluit. Tanta apud Christianos debet esse fidei reuerentia. Desertio enim fidei, abnegatióve, nomina sunt ipso mox fugienda sono. Aliud autem est se submittere obligationi in futurum, atq; etiam pœnæ aut iacturæ designandæ, si non præstetur quod à nobis desideratur. Aliud deum testem assumere, testē inquam infallibilem, in rei venturæ assertionem. Illud sufficit statuendis fœderibus, litibus cōponendis, ac stabiliendæ obediētiæ. Istud verò iniuria in deum non caret: cùm scilicet rei futuræ, aut per impotentiam, aut per ignorantiā, aut per fragilitatem humanam, minimè constanti adhibeo testimonium dei infallibile, ac per omnia sibi costans. Iniuriam enim facit veritati necessariæ, ac per omnia sibi constanti: qui illi rem futuram incertam, miniméque constantem, cōiungere audet. Vt cùm dicimus, ita verùm esse aut certum queādmodum deus est. Rectius igitur quis polliceatur, id se præstiturū quod dicit sub obligatione rerum suarū: aut si extra aleam coertionis expositus sit, sub interminatiōe diuini iudicij. Quod si recipitur, dicemus nullo modo esse iurandum per assumptionem diuini testimonij pro re contingenti futura, propter eum qui ait: Non iurabitis omninò. nisi in quibus interuenerit reuelatio. Quod & prophetæ omnes fecerunt, dicentes: Hęc dicit dominus deus. Quibus verbis deus inuocatur in testem, & id quidem in rebus futuris, sed reuelatis. Vnde & propheta ait: Si non euenerit secundum verbum meum, nō illucescet crastina dies. Id quod locum habet in re futura, sed reuelata. In quibus deum veracem testari possumus, vt cùm Paulus dicere solet: Fidelis

deus,

deus. Huc ſpectat ea,quam ſuprà attigimus, diuini numinis obteſtatio pro re etiam futura, ſed reuelata, poſteriore ad Corinth. 11. Eſt veritas Chriſti in me:hoc eſt iuxta diuum Anſelmum,Veritas Chriſti in me loquitur, quoniam hæc gloriatio (ſcilicet de non onerando vos in accipiendis ſtipendiis)non infringetur in me in regionib' Achaiæ.Iam extra ſanctorum exempla vix audeat aliquis teſtem deum inuocare. Quòd ſi ſecuritas requiritur, ſufficere debet in rebus humanis cautio. Quæ ſi minimè ſufficit, accedere poterit diuini iudicij in caſu fraudis imprecatio. Quo fit, vt grauiſſimè inculpandi ſint aut principes, aut eorũ laterones, qui iuris & æqui notitiam ſibi arrogant:qui minimè videntur pro leuiſſimis quibúſque negociis ad fiſcum regium pertinentibus, à quibuſuis citra delectum, etiam quos peieraturos vident,exigere iuramentum.Sed de hoc poſteriore tomo latius diſſeretur & copioſius.

Id autem quod diximus de obediẽtia præſtanda, ſi non ſub aſſertione iuramenti, certè ſub imprecatione aut obligatione rerum ſuarum:plurimum facit ad compeſcẽdum Anabaptiſtarum furorem,qui ſub vmbra præcepti de non iurãdo, obedientiæ colla ſubtrahunt,fœdera neſciunt,nihil niſi anarchiam meditantur. Illud ſaltem negare non poſſunt, quin teneantur in defectu præſtãdi,quod promiſſum eſt, ad menſuram iacturæ inde ſequentis ſe poſſe obligare:aliàs eſſent detentores rei alienæ.Poſſunt inſuper(vbi cætera deſint) ſe ſubiicere pœnæ à deo infligendæ,quemadmodũ plerũq; in propheta legimus. quale eſt illud:Si non humiliter ſentiebam,ſed exaltaui animã meam: ſicut ablactato à matre ſua, ita ſit

retributio

retributio in anima mea. Rursum: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Vt ergo eis demus, ne cogãtur ad iurandum: illud vitare non poterũt, quin suos contractus atque adeò fidem & obedientiam debitam suis superioribus comprobare ac munire debeant rerũ suarum impigneratione: aut certè si illa non sufficit se submittendo pœnæ à deo infligendæ, si defecerint à promissis, aut debitæ iugo obedientiæ.

Huiusmodi autem conuentiones imprecatione confirmatas, cœlo probari Eusebius autor est ecclesiasticæ historiæ lib.6.cap.7. vbi ita de Narcisso loquitur: Is nanque cùm inter cætera virtutũ suarum bona esset valde constantis animi, & iusti rectiq́ue indeclinabiliter tenax: quidam homunculi nequam, malè sibi conscij, metuentes ne criminum suorum, si arguerentur, non possent effugere vindictã: præueniunt, & factionibus circumuenire parãt eum, cuius iudicium verebantur. Continuant igitur aduersum eum infame satis & noxium crimen: conueniũt auditores: testes ex semetipsis producunt, qui sub sacramento iuramenti, quæ obiiciebantur, confirmarent. Quorum vnus testis, ita non igni consumeretur, vera se dicere testabatur: alius, ita ne regio morbo corrumperetur: tertius, ita ne luminibus orbaretur. Et quãuis ne iuramentis quidem istis quisquam fidelium & deum timentiũ crederet, eo quòd vita Narcissi & institutio, ac pudicitia ab omnibus nosceretur: ipse tamẽ eorũ quæ mota sunt, indignitatem ac molestiam non ferens, simul & secretam ac philosophicam vitam semper habere desiderans, subterfugit ecclesiæ multitudinem, & in desertis locis atque

tis atq; agellis secretioribus delitescit annis quàm plurimis. At non ille magnus diuinæ prouidētiæ oculus quiescit in longum, sed in impios vltionē per ea ipsa, quę sibi in periuriis statuerāt, maledicta mòlitur. Primus nāque ille testis, parua ignis scintilla noctis tempore, domo sua succensa, cum omni genère suo, omnique familia, flammis vltricibus conflagrauit. Alius repētè ab imis pedibus vsque ad summum capitis verticem morbo regio, quod fuerat imprecatus, repletur atque consumitur. Tertius autem priorum exitum videns, & oculum diuinum se latuisse perspiciens, prorumpit in medium: & audientibus cunctis, sera pœnitentia vniuersum concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem lachrymis immanis commissi facinus deflet, & in tantùm die noctuque perdurat fletib⁹, vsquequo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti sui huiusmodi pœnas dederunt. Hæc ille.

Hoc exēplo edocti Anabaptistę, discāt huiusmodi ad confirmationē veritatis firmatas imprecationes, nedū non improbari à deo, imò verò ab ipso euentu sequēte cōfirmari. Qui cùm in hoc, tum in aliis etiā plurimis, facilè reuincūtur: primò quòd oēs suos cœtus fœdissimis deturpāt libidinibus: deinde quòd sine scriptura, imò & contra scripturā, retincti & esse & dici nō formidant, principatū contemnunt, anarchiā spe deuorāt, de cōsiliis præcepta faciunt. Quod si ita eis faciendū videbatur, debuerūt saltem non dānare sacræ scripturæ interpretes, vita moribusq; probatos, sed & miraculis claros: & eos potius suo consilio relinquere, q̄ veluti reprobos à se omnino abdicare, iudicantes ante tēpus, cùm nondum

dum venerit dominus, qui illuminaturus est abscon dita tenebrarũ. Quos in hac causa meritò reprehen dit diuus Augustinus sub nomine Donatistarũ his verbis: Donatistæ (inquit ille) non odio iniquitatis alienæ, sed studio suarũ contentionum: infirmas plebes iactãtia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant. Superbia tumidi, peruicacia vesani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti: ne luce veritatis carere eos pateat, vmbra rigidæ se veritatis obtendunt. Et quæ in scripturis, salua dilectiõis synceritate, & custodita pacis vnitate, ad corrigẽda fraterna vitia, moderatiori curatiõe fieri iubẽtur: ad sacrilegiũ schismatis, & occasionẽ præcisionis, vsurpãt. Ita se transfigurat Satan in angelum lucis, dum per occasionem quasi iustæ seueritatis crudelẽ sæuitiam persuadet, nihil aliud appetens, nisi vt corrũpat, atque dirumpat vinculũ pacis & vnitatis: quo firmo inter Christianos, vires eius omnes inualidæ fiunt ad nocendum, muscipulæ insidiarum cõminuuntur, & cõsilia euersionis euanescunt, &c. Det illis dñs aliquando gratiam, vt vel serò saltẽ in sese descendere possint: & manticam, quæ à tergo est, propiùs introspicere: vt post multorũ deuia errorum suam culpã agnoscentes, ac cæcutientiam erubescẽtes, veniam à domino impetrare possint. Qui ante omnia sæcula semper & super omnia benedictus, viuit & regnat deus.

Hæc de priore tomo dicta sint. Nunc ad vsum vtriusque gladij legitimum declarãdum, descendendum est.

TOMVS SECVNDVS

de corporali ſpiritualíque gladio: quomodo ille corpus afficiat, hic animum.

NOn facilè quis explicet, quomodo temporalis gladius conſcientiam ſubditi non afficiat æquè vt ſpiritualis, cùm dicat diuus Paulus ad Romanos: Propter q̃d neceſſitati ſubditi eſtote, nõ ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, irę nomine pœnam temporalem intelligens, & per conſcientiam pœnam ſpiritualẽ: quare vterque gladius etiam ſpiritũ penetrare poſſe videtur. Huius nubili euacuandi gratia, quæ ſequuntur theoremata ſubiungemus.

Theorema primum.

REs tota euadet apertior, ſi à vocabulorum definitione ordiamur. Nullo itaque diſcrimine habeãtur hæc vocabula: gladius temporalis, lex ciuilis, ſeculare edictum aut placitum, ius imperiale aut regium, & ſi qua ſint ſub eodem ſignificatu vocabula. Itemq́ue altera ex parte vno ſignificatu accipiantur hæc & ſimilia: clauis eccleſiæ (hic non loquor de ſacramentali) gladius ſpiritualis, poteſtas ligandi & ſoluendi, ius canonicum,

regulæ seu placita ecclesiastica, spiritualisve potestas.

Theorema secundum.

EST aliquid, in quo temporalis etiam gladius quadãtenus pertineat ad conscientiam: ita vt trãsgressio legis ciuilis maximè contemptim habitę imputetur ad culpã, etiam si nominatim ipsa lex cõminetur pœnam. Hoc autẽ fit non nudo trãsgressionis vigore, nec propria vi legis: quæ suapte natura vsq; ad spiritum non penetrat: verùm diuinę potius legis auctoritate. Nam de contemptu palam est. Paulus enim in Roman. 13. ait: Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit: vbi quoque de potestate sæculari agitur. quin & illud ex se ad mortalẽ pertinet culpam. Vnde & diuus Petrus ait: Nouit deus iniquos in diem iudicij seruare cruciandos: magis autẽ eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationémq; contẽnunt. Quinetiam contumacia proterui inobedientisq; filij morte puniebatur in veteri lege Deutero. 21. Vbi textus sic habet: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationib⁹ vacat, & luxurię atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur: vt auferatis malũ de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat. Proteruus autem censebatur, qui imperata facere recusaret: rebellis, qui prohibita vitare nollet. Ad hoc etiam facit Samuelis ex ore domini sententia 1. Reg. 15. Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere. Quibus verbis non omnis transgressio intelligitur, sed ea quæ ex certa malicia potius, quàm ex fragili-

fragilitate committitur: dum scilicet prohibetur legis vsus, actúsve legitimus. Porrò differt resistentia à cõtemptu. Resistit, qui impedit executionem mandati vi aperta aut occulta: contemptus autem vltra transgressionem annectit odium aut mandati, aut legislatoris. Transgressio autem simplex est, cùm ex priuata cupiditate, vtilitate, voluptate aut ignorantia, exclusis odio & contumacia, non fit quod præcipitur. Diciturque inobedientia contrariè, quæ habetur pro contemptu: & repugnantia pro rebellione, dum scilicet quis renititur & resistit. Hęc igitur rebellio non solùm pœnam, sed & culpam habet: nec corpus tantùm, sed etiam animum afficit, etiam si sęcularis sit, lexq; cõtemnitur, modo æqua sit & iusta: sed hoc fit vigore legis diuinæ. Nec contemptus solùm culpabilis est, imò & scandalum: dum scilicet transgressio legis etiam ciuilis vergit ad seditionẽ, aut schisma, aut inde sequitur res mali exempli. Quòd si graue incommodum, quod inde sequitur, erit transgressio mortalis, dicente domino: Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis his, qui in me credunt, expedit ei, vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Hoc modo etiam qui ciuili potestati resistũt, sibi damnationem acquirunt ratione publicæ transgressionis & scandali. Tertiò culpa etiam incurritur, quæ conscientiam lædit & grauat per infractionem legis ciuilis: addo etiam mortaliter, si pergrauem iniuriam principi adimitur quod suum est. Hoc enim est furtum, & quadãtenus sacrilegium. Nam respublica habet aliquid cum sacro cõmune. Iura enim publica quodammodo dicuntur sacrosancta. Tribus igitur

his modis lex ciuilis videtur afficere conscientiam, videlicet in casu contẽptus, & scãdali, & furti: dum res legislatoris, aut ius tollitur, & aufertur. Hoc autem fit non propria vi legis, sed externa, desuper accedẽte authoritate. Nã qui tollit rem proximi, offendit quidem, sed non tenetur legi proximi: cùm læsus quandoq; fit subditus, non superior. Et qui peccat ex contemptu, non peccat contra obligationẽ legis humanæ: vti neq; contẽptor consilij peccat cõtra obligationem cõsilij, quæ nulla est: siquidẽ altius petenda est huius origo piaculi, noxàve cõtemptus. Obligatur enim cõscientia subditi, ipso Paulo authore, singulis reddere debita, debitum scilicet honorem, timorem, tributum & vectigal. Debitum dico nõ tyrannicè institutum. Timorem autem reuerẽtiam appello, quæ etiam conscientiã obligat, cùm scriptura dicat: Diis non detrahes, & principi populi non maledices: aliâs auferretur principi quod suum est: nec principi solùm, sed & cuiuis, qui in aliũ prælaturã exercet. Quare indubiè peccat, qui irreuerenter tractat superiorẽ seu ecclesiæ, seu familiæ, seu politię: quiq; potestatis legitimæ executionem impedit. Illi enim aufert, quod suum est. Peccat autẽ pręter furtum etiam ex scãdalo, si alios sua occasione ad seditionem inducit: peccat & ex odio, si contemnit. Hæc sunt, quæ culpam inducunt subditis non parentibus legi ciuili: non quidem vi propria legis, verùm potius externa. Id quod indicat Paulus ad Roman. 13. cùm ait: Potestatem non esse timori boni operis, sed mali. Non enim facit quod malum sit, sed quod malum prius erat patratũ, corrigit: nec facit, vt opera ex sua tantũ prohibitione fiant illicita, quæ aliâs licita

cita forent:nec suis legibus potest adiicere culpam prohibendo sub pœna peccati, vt ipsa ecclesia potest,cui dictum est:Quæcunque alligaueris super terram, erunt alligata in cœlo. Sed in hac re non leuis scrupus oboritur sequenti diluendus theoremate.

Theorema tertium.

IAm cuiuis perspicuum est(nisi me fallat iudicium) in his nuper enumeratis tribus casib⁹, citra omne ambiguum affici non res & corpora tantum subditorum lege principis,quin & animum ipsum, ipsam dico conscientiam: nisi quòd in tertio obligandi genere subest aliquis scrupus.Neque enim omni ex parte liquidum est iura fisci præsertim extraordinarij ita ligare conscientiam, vt vltrò, necdum à principe requisita,offerri debeant à subditis. Satis esse videtur, si deprehensus subditus pœnæ legis subiaceat.Nam princeps bona subditorum obligare potuit ad iura fisci persoluenda,non animum, sed nec subditus populus suæ animæ salutem oppignerauit. Sufficiebat enim res tantùm subiacere & corpus persoluẽdis tributis. Cui obligationi nisi satisfaceret,rerum suarum pateretur iacturam.Quòd si fortè primo populi cõsensu patres sese adstrinxerint iuramento ad subleuãda onera reipublicæ:non tamen potuerunt obligare posteros,nisi in corpore tantùm,& rebus,& non in conscientia.Nam tametsi quis hæredem obligare possit temporaliter,non tamen spiritualiter.

Hic præmeditari habeo ac præfari geminũ censeri tributũ,quod à principe exigitur. Ordinarium vnum illi debitũ ratione soli, seu possessionũ: quod pensio, census,annona,functio,munus ordinariũ so

let appellari. De hoc censu præcipuè dictũ est: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Et hi sunt prouentus ordinarij, quos fraudare secura conscientia nemini licet. In eos siquidem princeps ius habet, non ad rem tantùm, sed in re. Ideoque qui iura illa detinet, detinet alienum. Aliud est tributum extraordinarium, quod superindictum appellatur, aliâs verò casualis collecta seu aduentitia (quam nonnulli dixere gabellam, alij malatostã) in quam ius habet princeps, præsertim si debitè imponatur ius quidem ad rem, certa tamen conditione modoque, nempe sub obligatione corporis & rerum, vtpote indictione & exactione præcedentibus. Quæ si non exigerentur, non videtur imminere peccatum conscientiæ eius, qui non soluit. Satis enim esse debet, si omissio solutionis subiaceat emendæ. Quis enim liberum Christianum in tantam adigat seruitutẽ, vt dicat eum culpæ obnoxium, nisi vltrò & non requisitus omne vectigal collectámve persoluat? cùm nec imperator ipse in lege vnica de superindict. subditos eousque onerandos esse iudicet. Sic enim ait: Nihil superindictorum nomine ad solas præfecturæ literas quisquã prouincialis exoluat. neq; vllius omninò indictionis titulus etiam solennis immineat, nisi cũ nostro confirmata iudicio & imperialibus nexa præceptis sedis amplissimæ deposcat indictio, & cogat exactio. Hęc ibi. Oportet ergo indictioni accedere exactionem: & altero cessante, non censetur obligari conscientia subditi. Potest quidem princeps imponere onus emendæ, nunquã tamen statuere sub pœna peccati. Neque vnquam fando auditum est, quòd prisci Cæsares in his conscientiam non soluentis obligarent.

rent. Qui ergo succedit iuri illi humano, pœnę corporalis limitibus contentus esse debet. Nec probo eos, qui plusquàm quotidianos laqueos subditis iniiciunt, passim ab eis iuramenta exigētes super quacunque, quamuis aut occultissima aut minutissima, rei suæ alienatione: eos scilicet plusquàm seruiliter adigentes medio iuramento, vt palam afferant, quot quantive merces suas vendiderint, nec minutulo quidem asse suppresso. Hinc mille periuria emergunt. Tenetur tamen adiuratus, dum iurat, meram exprimere veritatem. Qui verò exigunt, viderint quàm parum piè id faciant. Satis videri debet, si deprehenso imponatur mulcta aut in corpore aut in rebus, modò ne accedat nouum animæ periculum. His certè scandalis quotidie ingruentibus, nullus est aut finis aut modus.

Hoc igitur præstituto fundamēto, videtur quòd citra periurium & mendacium non afficiatur animus supprimentis, ac soluere tantùm omittētis, nec tamen per contumaciam renitentis huiusmodi pecuniariam collectam: quam nonnulli despecto nomine gabellam, alij verò despectiore malatostam appellant, id nimirùm subindicantes, plus illi iniuriæ quàm iuris inesse. Satis esse credendū est, si silentium huiusmodi deprehensum aut corporali pœnæ subiaceat, aut rerum iacturæ. Vnde nec Christus quicquam de persoluendo tributo mandauit, nisi posteaquàm accessit exactor, inquirens: Nónne magister vester soluit tributum? & id quidem egit non tam debiti persoluendi, quàm scandali vitandi gratia. Et secundi Esdræ cap. 5. legitur: Ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non

 comedimus.

comedimus. Ex quo datur intelligi, quòd omittentes soluere iura ducalia non peccabant: vti nec peccant non soluentes decimas, dum non exiguntur, ex consuetudine. Et in eodem sequitur: Annonas ducatus mei non quęsiui. cùm tamen arctius liget ius decimæ, quàm tributi: vt in axiomate de decimis declaratur apertius.

Nec obest, si dixeris teneri subditum iure naturę laboranti reipublicæ succurrere. Peccat ergo, nisi id faciat. Cui ita respōdetur, eo casu teneri ad subuentionem. At vbi alia via subueniat, liberatur à noxa, etiamsi celando subtrahat ius fisco debitum. Quod quidē debetur sub pœna, non autem sub culpa. Constat enim ante omnem legem ad fiscum pertinentem subditi conscientiam nō fuisse obligatam fisco. Atqui lex ciuilis superueniens non afficit conscientiam, nisi ex pacto, vel iuramento. Manet ergo libera conscientia populi à culpa, cùm lex ipsa solum vocet ad pœnam.

Contrarium tamen videri potest ex eo, quod lex interueniens obligat ad culpam. Huiusmodi esse videtur sententia Pauli dicentis: Reddite vnicuique debitum: cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum: nec tātum propter iram, sed propter conscientiam. Hinc ergo apparet obligari conscientiam, etiam pro iure fisci persoluendo. Super hęc accedit sentētia Christi, quæ ait: Reddite quę sunt Cæsaris, Cæsari. Iam qui non reddit debitum, manet in mora: & detentor rei alienæ non est immunis à culpa. Ad quod prompta est responsio, quòd debitum istud ciuile non acquirit ius in re erga principem: sed tantùm ius exigendi

& sub-

& subiiciendi pœnæ negligentem iuxta legis præscriptum. Neque enim adhuc est in bonis principis, nisi per traditionem. Reddendum est ergo debitum sub culpa, quādo iam est ius quæsitum in reipsa, seu acquisita possessio: ante quam possessionē adeptā huiusmodi debitum reddēdum est, sed sub obligatione pœnæ. Quod autem ex dictis Pauli attinet, ad conscientiam: referendum est ad contēptum, vel resistentiam, aut scandalum, si quod oriatur, ex eo ꝙ celans huiusmodi debitum fiscale deprehensus detrectat etiam subire pœnam. Quo casu etiam afficitur conscientia. Nos autē loquimur de eo, qui nudo silentio se eximit à solutione debiti fiscalis. Cui illud competere videt: Nemo te cōdēnauit, neq; te cōdēnabo. vbi tamē nō vrget reipublicę extrema penuria. Quo casu non tā lex ciuilis, q̄ lex ipsa naturæ stringit cōscientiā subditi. Tenet enim mēbrū subuenire corpori alioq̄ perituro. Quin & princeps ipse necessitate ex parte plebis ingruēte, à suis stipēdiis repetendis abstinere debet: vt scias procedere obligationē hanc à lege ciuili. Vnde & Esdræ secundo cap. 5. ita legitur: Insuper & annonas ducatus mei non quæsiui. Valde enim attenuatus erat populus.

Quòd si insuper obiicias saltem fieri iniuriam quæstori & exactori: qui aliâs de proprio soluere habet, nisi debita fisci recipiat. Verū sibi imputet, qui scire debuit, ꝙ non plus iuris habet, q̄ princeps. Prius enī cogitare debuit cōditionē leuādi tributi: vt defalcatis periculis leuiori precio onus exigēdi in se reciperet, ne scilicet sumptus exuperet quęstum.

Quid autem, inquies, si omnes celando debitum fisco se

fiſco ſe eximant? ſicque prouentus principis euaneſcet: An non erũt in culpa, qui anſam præſtant huic incommodo? Ad id quidem reſpondendum vti de cœlibatu dici ſolet, cùm tamẽ obſtare videat̃ præceptum illud generale & vagum: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Nã huiuſmodi præceptum non obligat ſingulos, tantiſper dum magna pars orbis vacat generationi. Quod ſi deſiſteret: iã quilibet inſolidum teneretur, donec magna ex parte ſatiſfieret præcepto. Idem hoc loco dicendũ eſt. Nam ſemper prouidendum eſt, ne fiſcus egeat. Tũc enim ingruente penuria, teneretur in conſcientia, qui aliâs nõ tenebatur. Neq; extra cauſam eſt quod ſubiungam, fieri poſſe, vt quis citra noxam iura fiſco debita clam ſubtrahat, ceſſantibus mendacio, periurio & ſcãdalo: dum ſcilicet experitur ſe aliis oneroſis tyrannicisq; tributis iniuſtè premi, atque (vt ſic dicam) obrui etiam ſupra captũ & vires. Eodem ſane iure, quo quis rem à ſe iniuſtè ablatã alia, qua commodè poterit, via recuperare cõtendit idque citra iniuriam. Neque enim auſim damnare omnes, qui dum ſentiunt ſe grauari exactionibus, clã (dum ſe offert occaſio) nemora publica parte quadam lignorum ſpoliant, grauiora diſpendia hoc leuiori compendio ſubleuantes. Nam & hoc librandum eſt ab his, quibus cura incumbit animarum.

Quòd ſi inſuper obiicias, quid ad principem ſi vicarij magiſtratus, aut inferioris ordinis executores, deuorent plebem ſicut eſcam panis? An iniuria ab eis commiſſa redundare debet in rem principis? Ita ſane videtur. Sibi enim cauere debet, qui tales elegit: præſertim dum ex venalitate officiorũ,

cuius

cuius sibi princeps est conscius, huiusmodi damna emergunt: dum scilicet emptor magistratus quam cumulatim pecuniam expendit, minutatim etiā vsq; ad concussionem cōtendit recipere. At si nihil procedat ex culpa principis: fateor executoris iniuriā non debere reipublicæ dispendio compensari: sed ab eo repetenda est, qui intulit iniuriam.

Ex his quoque, quæ diximus, apparet graui errore laborare eos, qui passim iurare compellūt subditos principis propter fraudatam (vt aiunt) gabellam, ponentes falcem in messem alienam cùm bona tantum & corpora sint obnoxia legi principis. Id quod non obscurè traditur secundi Esdræ. 9. fruges eius multiplicētur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra: & corporibus nostris dominentur, & iumentis nostris secundum voluntatē suam. Ecce dominium in res tātum & corpora. Nec releuat prætextus ille Paulinæ sententiæ, quòd finis controuersiæ est iuramentum. Nam hoc tantum suadet ad finem imponendum liti relinquendū esse arbitrio rei, vt in se recipiat iuramentum: cogi tamen non debere passim ad iurandum, cùm ex hoc innumeri laquei animarum emergāt. Nec eò se extendit facultas legis ciuilis, vt animam ipsam eo vinculo adstringere possit, vt nolens compellatur iurare. Super quo viderint iudices, ne dispendium animæ postponere videantur terrenis incōmodis. Verùm istud parergō, nō tamē prorsus extra causam.

Vt ergo ad filum res redeat: ex his, quæ dicta sunt, apparet minus rectè sentire eos, qui existimāt quamuis legem seu imperialem, seu ciuilem (quæ modò legis nomine digna esse cēseatur) præter pœ-

næ vin-

næ vinculum etiam secum aduehere culpam, Culpam aiunt aut mortalem, aut saltem venialem. Idq; ita persuaderi posse putant: Omnis transgressio legis iustè & vtiliter institutæ non minus viciosa est, quàm verbum ociosum. de quo tamen scriptum est: De omni verbo ocioso quodcũque dixerint homines, reddent rationem. Et hinc colligitur futile verbum & inane, vt minimum esse veniale. Cùm autem transgressio legis sit deterior, quid saltem nisi venialis erit? Ad hęc, iure diuino cauetur (ita enĩ promulgauit Paulus ad Romanos. 13.) Cui honorẽ, honorem: cui tributum, tributum: cui timorem, timorẽ: cui vectigal, vectigal. Proinde iure diuino principi debetur honor, timor, seu reuerentia & tributum. Quicunque igitur tributum denegat, cum sit soluendo (aliàs transgressor non censeretur) furtũ committit: modo tamen illud tributum iustè fuerit institutum. Cuius transgressio restitutioni est obnoxia. Nihil enim aliud, quàm furtũ est. In reliquis autem legibus aut rebellis, aut contemptor peccat. Iste ratione scandali, ille ratione odij aut legislatoris, aut legis: dum vel suo saltem exemplo impedit finem legislatoris. Sicq; aufert debitum ius, aut debitum timorem seu reuerentiam. Quòd si citra cõtemptum & scandalũ negligentia tantum laborans transgreditur, lædit principis honorem. Cùm nulla se offerat transgrediendi occasio, sequens est omnẽ transgressionem imputari ad culpam. Culpabile enim est, dum quis nulla iusta interueniente causa à legis præscripto recedit. Et hinc persuasum putãt omnem legis etiam ciuilis transgressionem culpæ esse obnoxiam. Quare eadem erit vis obligandi v-

triuſque legis ciuilis & eccleſiaſticæ,cùm vtraque obliget ad peccatum. Et huic conſentaneum videri poſſet vel plurimas leges eſſe aut irritas, aut iniuſtas,aut inanes,aut certè multorũ conſcientias culpæ eſſe obnoxias. Verùm huic reſponderi poteſt legiſlatorem ſola pœnæ ſatiſfactione eſſe cõtentũ, nec velle ſuis animam ligari legib⁹, imò nec poſſe: cum ſciat, ſcirève debeat, nullam ad hoc ſibi conceſſam eſſe facultatem,niſi ei cui dictum eſt: Quæcunque ligaueris ſuper terrã,erunt ligata & in cœlo.quo priuilegio caret lex ciuilis. Quòd autem dicitur legiſlatoris honorem aut reuerentiam lędi ab eo, qui non paret legi, etiam citra contemptum & ſcandalum: dicendum ſatiſfactum eſſe legi, nec in vllo offendi principem,ſi quis aut imperata faciat, aut emendã ſoluat. Nam in alternatiuis electio eſt debitoris: aliâs crudelis erit princeps, ſi vtrunque exigit,culpam videlicet & pœnam.Ea enim eſt populi libertas,vt vltra ſe obligari non cõſentiat q̃ ad executionem legis,vel emẽdam. Vno è duobus perſoluto,ſatiſfactum eſſe legi exiſtimandum eſt. Nec plus poterit princeps, etiam ſi intendat: cui ſuper corpus,nõ ſuper animam,eſt conceſſa facultas. Secus autem de præſule eccleſiaſtico, qui paſcendæ regendæq; animæ facultatem accepit: & ita accepit,vt cœlo probetur, quod ab eo ſtatutũ eſt in terra.Peccaret igitur ſubditus, ſi nulla interueniente cauſa nec pareret legi, nec emenda ſuppleret defectum. Ideoq; leges ciuiles pœnales ſunt, non culpabiles. Nam quoties pœna corporalis (ſpiritualẽ excipio,quæ ſemper culpam ſupponit) adiũgitur: nulla culpa cenſenda eſt, vbi quis aut mandato pareat,aut

reat, aut emendam soluat. Hanc enim sibi libertatē populus natura comparauit, vt legibus iure positiuis ita subiectus cēseatur, vt defectum parēdi subsequente emenda supplere possit. Quod vbi factū sit, nō censetur legis transgressor trangressione inducente culpam. Neque enim vltra ligatur cōsciētia subditi, quàm aut quod iubetur exequi, aut emendā supplere defectum. Nec vltra progredi potest lex ciuilis, nisi (vt sæpenumero repetere cogor) in casu furti, contemptus, aut scandali. tunc enim & culpa incurritur, & pœna debetur. Incurritur quidem culpa iure diuino, pœna autem iure ciuili. Hoc ipsum indicare Christus visus est, qui ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus: post hoc autem non habent quid faciant. Cui accedat hæc ratio, quòd princeps suam authoritatem hausit à populari consensu. Iam nemo dixerit plebem se subiecisse principi etiam vsque ad interius animæ vinculum. Satis enim est subiecisse sua corpora morti, & possessiones temporali iacturæ: ideoque materialis gladius dicitur. Attingit enim corporalia tantum.

Obiter istud quoque pronunciandum se offert: quòd cùm nemo ad id cogi possit, vt sibi vel mortē, vel vulnus infligat: neminem etiam iure belli captiuum quouis iuramēto posse adstringi, vt reuertatur ad carcerem, vbi sciuerit mortem sibi e uestigio parari.

Illud etiam ad libertatem subditorum pertinet, vt ante cōdemnationem non teneantur in consciētia infligendam soluere pœnam. Verùm ne quē hæc cōfusa sententia fallat, distinctius in hac re procedēdum est. Pœnæ siquidem vocabulum vsqueadeo latè

state patet,vt nisi genus contrahatur ad speciē:quid pro quo accipi debeat, non facile diiudices. Est enim pœna ab alio tantum infligenda,quā sustinuisse satis fuerit.Nec eo spectat intentio legis,vt illam sibi quis infligat cuiusmodi sunt,mors,verbera, carcer,& his similia. Hoc genus pœnarum nemo conscientiæ lege persoluere tenetur ante cōdemnationem,imo nec post condemnationem præstare, nisi dum ad pœnam quæritur:cum lex nihil aliud intēdat, nisi quòd patiatur. Nam ad actionem tenetur iudex,ad passionem nocens.

Hic dubium occurrit, an nocens aperto carcere effugere possit: & vbi semel effugerit, an per se reuerti teneatur. Quod dubium & doctè & copiosè etiam vsque ad satietatem elucidasse mihi visus est dominus Caietanus Secunda secundæ quæst.69.super articulis.3.&.4.Id tātum dixisse sufficiat illud aduersari naturæ & charitati, quòd quis sibi mortem inferat,aut procuret:vt si iubeatur seipsum cōfodere,mergere,aut venenū potare.Hæc enim pœnarum genera non agnoscit Christiana pietas. Poterit igitur quisquis est fine subministrato cibo vitam sibi prorogare. Id quod Valerius quinto libr. laudat in ea,quæ proprio lacte patrem fouit, aluit & pauit:cùm tamen respublica perpetuæ eum fami addixisset. Poterit ergo vti via sibi parata ad mortem euadendam. Tantum curet insigni aliqua pœnitentia culpam eluere commissam. Vt autem se liberet, non potest vim inferre ministris, nec in detrimentum ministrorum vim adferre repagulis carceris. Si enim rem ipsam radicitus inuestigare volumus, inueniemus hāc euadendi libertatem in ex-

tremo

tremo tantùm vitæ periculo nobis iure naturæ esse concessam. Extrema siquidem necessitas rem alioqui propriam facit esse cōmunem. Cùm igitur nocens ius erga propriam vitam perdiderit ob scelus commissum: facit tamen extrema necessitas, vt vita nocentis, quæ est in possessione reipublicæ, possit vendicari ab ipso, citra tamen violentiam: quemadmodum & extremā patiens necessitatem potest vēdicare panem, qui etiā in alterius bonis est. Ab hoc fonte oritur iusta euadēdi facultas, vbi de extrema necessitate agitur. Verùm ex hoc sequitur, quòd si carcer non sit ad mortem: nocenti nulla sit iusta euadendi facultas, sed sola illi incumbit parēdi necessitas. Itemq; sequitur, quòd sicut pane existente inter duos necessitatem patientes, collitigantibus inter se partibus vt sibi quisque panem vendicet: quacunque arte quis possideat, suo tamen iure eo pane vti potest, qui panem occupat: saluo tamen, q; reparet incommodum illatum, si quod intulit, vt re potiretur optata: Ita & de incarcerato dicendū est. Quid enim non facias, vt vitam redimas? Nam, vt ille ait: ferrum patieris & ignes. Vim igitur intulisse iniustum erat, ideoq; sarcienda erit iniuria. Verùm negari non potest, quin vti possit re adepta, qui illā in necessitate occupauit. Quocirca Marcus Attilius Regulus, qui nullo adigi poterat iuramento ad consciscendam sibi mortem: eodem iure adstringi non poterat, vt rediret ad mortiferum carcerem, vt qui solùm captiuitati esset obnoxius. Quare nihil est, cur tantopere commendari debeat eius inconsulta temeritas, qua se interimendum potius sciret, quàm seruandum: cùm id genus captiuitatis serui-

tutem

tutem mereatur, non mortem. Seruus autem à ſeruando dictus eſt.

Dum ergo quæritur, an liceat infringere carceres, vt quis euadat mortis periculum? Dicendum, quòd finis eſt licitus: medium autem eſt illicitum, & reparationi obnoxium. Salua tamen illi eſt vita iure naturæ, ita vt redire non teneatur ad carceres. Fecit iudex quod lege debuit, fecit nocēs quod iure à natura ſibi conceſſo licuit. Vtitur enim re ſibi cum republica communi. Et quamuis medium fuerit illicitum, ſcilicet vis illata: vſus tamen vitæ eſt illi licitus. fit nihilominus vt reſpublica ſibi denuo vendicare poſſit vitam iſtius nocentis. Ipſa enim eſt in pendenti, ſeu (ſi mauis) in æquilibrio inter rempublicam & nocentem. Vtraque enim pars vſum habet licitum: modo rem, de qua contenditur, poſſideat.

Iam pronum eſt cætera, quæ ſequuntur, elucidare: vtpote quòd nocens vndecunque quæſito pane famem vitare poſſit ad mortem vitandam: aliâs non poteſt vt lautius viuat, vbi fuerit ad arctā pœnitentiam iure condemnatus. Poteſt etiam vti via ſibi patente ad euadendum, citra tamen vim: quæ eo etiam caſu iniurioſa foret. Quòd ſi vi vſus fuerit, reparet iniuriam: in reliquo ſuo iure vti poteſt. Et hinc plane ſequitur non licere amicis ad vim inferendam præſtare auxilium. Non tamen dixerim, quin liceat & ſibi arte viam parare, & amicis auxilia ſuppeditare: & hoc ad periculum tantum mortis euadēdum. Nam in reliquis pœnis obediendum eſt iudici, cùm ſolum excipiatur extrema neceſſitas: quæ ſub ſententia iudicis non includitur. Dico,

nõ includitur: non quòd mortẽ illi inferre non possit: sed quòd non possit impedire nocentem, quin vtatur iure suo, si qua via citra vim & scandalum euadere possit.

Quid igitur, inquies, an deprehẽsus adiutor nõ punietur pro præstito nocenti ad euadendum auxilio? Punietur quidem, sed magis ex causa, quàm ex culpa: ne scilicet illius exemplo respublica seditionem patiatur, & suo passim fine priuetur. Pœna autem vel causam, vel culpam sequi debet. Cæterum punitur quandoque aliquis sine culpa, sed non sine causa.

Quæres præterea, sicut nocens via aperta vti potest; an etiam ita teneatur vt peccet, si non effugiat? Dicendum, quòd possit vti sua libertate, & non vti. Vtrunque enim in sua facultate situm est. Nam si effugiat, accipit quod suum est: si verò nõ effugiat, tribuit reipublicæ quod suum est. Imò & quandoque teneretur non vti oblata occasione: vt si propter fugam custodi carceris immineret irreparabile damnum. idque exemplo Pauli, qui cùm custos carceris putans euasisse vinctos, mortem sibi consciscere vellet, exclamauit voce magna dicens: Nihil tibi malefeceris: omnes enim hic sumus. Actuum. 16.

Verùm ex hoc dubium oritur: Quicunque medio licito vitam saluare potest, & non saluat: peccat. Quoties igitur via patet euadendi, ea vtendum est. fallit hæc maxima, quando res est communis duobus. Exemplum accipe de pane inter duos extremo periculo laborantes existente: cuius vsus vtrique est licitus, & cessio vtrique licita. In aliis ca

sibus

ſibus cedere vitæ nō licet,cùm mihi vita ita ſit propria,vt nulli alteri ſit mecum communis.

Aliud quoque oritur dubium pro vita etiam ſalnāda: Ab omni culpa etiam veniali abſtinēdum eſt. Neque enim,vt vitam redimas, mētiri licet: quamuis officioſe. Quomodo ergo nocenti licebit euadere aut vi,aut aſtu,aut arte quapiam: quæ omnia, vt quod minimum eſt,ſequamur,venialia ſunt? Ad id quidem iam reſponſum eſt finem quidem per ſe eſſe licitum, quāuis illicita ſint media. Licet ergo vti fine, mediis verò nequaquam. Vix igitur ſe offert omni culpa vacans euadendi occaſio: niſi quæ deſuper ſe offert,aut fortuito accidit:hoc eſt,extra miraculum. Vt ſi ab extrinſeco infringantur carceres aut certe negligentia cuſtodū aut ipſius vincti ſubtili & innocua arte. Vidēdum tamen ne proximus lędatur ſupra quàm negligentia cuſtodis requirit.Quę omnia diſtinctius vnctio doceret.Nam quæ ſuperſunt minutula,non cadunt ſub arte.

Aliud pœnæ genus eſt, cuius executio ab altero non infligitur: quin potius nocens ſibiipſi author eſſe debet, vt pœnam illam ſufferat, & æquanimiter patiatur:ideoq; nonnunquam infertur ſtatim patrato crimine,& (quod dicitur) ipſo facto. Hoc genus ſunt,excommunicatio,ſuſpēſio, interdictum, irregularitas.Quarum ea eſt conditio pœnarum,vt quis ſe abſtrahat ab hominum congreſſibus, & ab his,quæ alioqui exerceri poterant,operibus. Hæ pœnæ quoties ipſa lege,aut ipſo facto, inferuntur: conſcientiam ligant etiam ante condemnationem. Nam qui illas ſuffert,patitur potius quàm agat. Pœna enim priuationis eſt, non actionis. Nec opus

 eſt,vt

est, vt quis vim inferat, seu coertione vtatur erga nocentem violenta: alioqui vim sibi inferre nemo cogitur. Nec minus distinctione opus est: ne indigestum pariat confusionem in ea, quam appellant pœnam quadrupli: de qua Exodi. 22. vbi pro rapto boue quincuplum, pro oue ablata quadruplum, partim pœnæ, partim capitalis aut interesse nomine persoluitur. Nam in quadruplo simplum contineri peritorum sententia est. Quod si verum est, nõ est expectanda iudicis sententia in capitali aut interesse restituendo: aliâs detineretur alienum. Quod autem superest de quadruplo, pertinet ad pœnam exemplarem: & in hoc non ligatur conscientia, nisi post condemnationem. Vnde plus est restituere iustè debitum, quàm soluere: quod solum pertinet ad pœnam. Quòd autem in pœna quadrupli, aut quincupli, interesse claudatur: vel ex hoc vno patet, quòd quinque boues pro vno persoluuntur: & hoc, quia maius est interesse in bouis ablatione, quàm ouis. Quòd autem quandoque designetur pœna octupli pro oue vnica. 2. Reg. 12. ex Hebræo, Ouem reddet bis quadruplicatam, seu octo pro vna, vt Hebræi volunt: hoc fit pro interesse personæ, dum scilicet auferens est diues: & qui iniuriam patitur, pauper. Quodque Prouerb. 7. dicitur: Fur deprehẽsus reddet septuplum. merito dicitur deprehẽsus, ne pœna præcedat condẽnationẽ. Septuplum hoc loco significat idem quod abundãter, vt alio loco: donec sterilis peperit septem, id est plurimos: aliâs septupli pœna arbitraria esset pro grauitate damni, sinistrique exempli.

Sunt & aliæ pœnæ mediæ, quæ partim in pri-

natione,partim in actione consistunt: quæ quo ad passionem conscientiam ligant ante condemnationem: verum quoad exhibitionem externam non, nisi post condemnationem. Huius rei exemplum est hoc de confiscatione bonorum hæretici: cuius conscientia statim à patrato crimine ita ligatur, vt tametsi nondum condemnatus sit, alienare non possit suas fortunas ipso iure fisco addictas: nisi quatenus exigit priuata & ea quidem vrgentissima necessitas, ne sibi mortem consciscere videatur. Ad id enim nulla lege compellitur. Est ergo addictus pœnæ ante condemnationem: ne ea, quæ in suis bonis erant, alienari possint, & hæc pœna obligat cõscientiam ante condemnationem, præsertim si ad legem illam accedat consensus principis, qui disponere habet de fortunis rebusq; suorum. Et hoc fit in detestationem criminis. Non tamen lex principis ligaret conscientiam, sed ecclesiæ potius, cuius extat edictum.

Pars autem alia pœnæ est, quæ in actione consistit, vt quòd à se abiiciat bona, & in aliam transferat manum. ad quod minime tenetur ante condemnationem. Nam omnis externa executio condemnationem requirit. Sic & pœna emendæ exigit condemnationem: quæ nisi interuenerit, nemo lege interna conscientiæ illam præstare tenetur.

Verùm hic se præsentem offert quæstio: An in reliquis pœnis emendæ citra confiscationem is, cui imminet condemnatio, possit à se alienare bona, ne suæ ceruici imminentem pœnam persoluat? Nondum enim priuatur ipso facto. Est igitur omnino

dominus rei suæ ac deintegro. Nec verè fraudem facit legi, quæ nondum habet ius quæsitum, tametsi parum absit à iure quæsito: ideo quamuis fraudis aliquid simile habere videatur, non est tamen vera fraus, dum res aliena nec tollitur, nec detinetur. Si igitur peccatum est, furti ratione caret. Nec te absterreat quòd nuper diximus hunc legi debitum esse honorem, vt subditus vel imperata faciat, vel emendam persoluat. Quòd si vtroque abstineat, facto illo iniurioso plus videtur offendere, quàm verbo ocioso. Hoc enim est legis honori derogare: quod sine peccato aut leui, aut graui fieri non potest, tametsi ita videri possit. dicendum nihilominus hoc pertinere ad libertatem subditi, qua iure sibi concesso vti potest, quòd pœnæ soluendæ non sit obnoxius nisi post condemnationem. Huc spectat omnium iurisperitorum consensus, ex quorum responsis & oraculis tota legis ratio pendet. Nullatenus igitur peccat, qui libertate à iure sibi concessa vtitur: nec in his omnibus transgressor legis cēsendus est. Alioqui si transgressor esset, peccati labem aut labeculam non euaderet: hoc est vel mortalem, vel venialem culpam: quę modò hęc, modò illa pro circunstantiarum aut grauitate, aut leuitate incurritur. Dicimus autem eatenus legem pœnalem non obligare ad culpam, dum quod primo præcipitur, omissum emendæ solutione reparatur. Secus est, vbi per legem simul indicitur culpa, & adiicitur pœna. Quod in legibus canonicis vsu venire solet, in ciuilibus nequaquàm: quæ corpus potius, quàm animum respiciunt.

Illud tantùm expediendum se offert, quòd cùm declara-

declaratione opus sit ante executionem, iure autem caueatur: Vbi quis princeps annuam excommunicationis censuram sustinuerit, liberentur subditi à iuramento fidelitatis. Ante huiusmodi executionem præcedere debet declaratio. Præterea quæ nam est ista declaratio. An sufficiat declarasse quòd excommunicatio annua fuerit, an vltra oporteat declarare subditos ex nunc esse ab obedientia liberos? Sententia super hoc communis habet ex capitulo, Cum secundum. De hæreticis in Sexto, quòd sufficiat declaratio dilatæ excommunicationis ad executionem: imò nec aliquando (vt aiunt) requiritur, vbi illud est notorium facti: eo ipso subditi aut tenentur, aut possunt subtrahere obedientiam vtpote iuramento soluti. Obligationem autem non admitto. Iniquum enim foret, quòd subditus suo periculo se subtrahat ab obedientia, dum propter periculum iudex illud declarare dissimulat. Item & ad seditionis exemplum pertineret, si ante iudicis declarationem in notoria etiam hæresi quiuis ab hæretico sua bona auferre suo iure posset. Quare siue in notorio, siue non, executionem debet præcedere declaratio: vt rectè censuit Caietanus in diuum Thomam secunda secundæ, quæstionis duodecimæ artic. secundo, ita inquiens: Quòd vt demus notorium facti sortiri effectum sententiæ declaratoriæ ad manifestationem, non tamen ad authoritatem: quin confusa omnia forent spe & odore lucri. Quisque enim diceret factum esse notorium & euidens: vbi tamen se res secus haberet. Oportet itaque iudicis

declarationem interuenire, imò verò præire executionem.

Hæc cùm ita se habeant, vti enarrata sunt: nisi vehementer fallor iudicio, sunt tamen nonnulla, quæ obiici possunt. In primis Iudas crimen vtriusque maiestatis læsæ commiserat: qui tamen iure Eucharistiæ suscipiendæ non erat priuatus. Nam & quiuis peccator occultus si in publico petat, hoc habet, vt ei denegari non possit: quo fieri videtur, vt hæreticus occultus non statim suo iure priuetur. Nam si ius habet ad Eucharistiam, cur non etiam ad rerum temporalium perceptionem? facilis ad id responsio est, quòd lex ciuilis decreuit tantum super sua materia, hoc est super temporalium possessione: lex autem ecclesiastica, Christi adducta exemplo, nihil attentare ausa est præter id, quod à Christo accepit. Huc accedit, quòd huiusmodi denegatio Eucharistiæ faceret de occulto publicum. Quod minimè licet. Secus est de priuatione seu confiscatione, per quam nihil reuelatur occultum. Ideoque ob eam causam lex ciuilis non aufert bona hæretici, nec illi quicquam denegat ante sententiam. Vnde & hæreticus etiam priuatus est iure petendi Eucharistiam: tametsi denegari non possit, si ipsa petatur, in publico, tantisper dum manet occultus.

Verùm aliud oboritur dubium: Si lex ciuilis nō obligat conscientiam, quomodo ergo ligatur conscientia perduellionis rei, ita vt iure nequeat quicquam de bonis alienare citra arctissimam necessitatem: nec id tantum sub pœna, imò etiam sub culpa? Patet responsio ex his, quæ dicta sunt: quòd

quòd huiuſmodi obligatio à iure eccleſiaſtico dependet, deo approbante in cœlis id, quod ex æquo & iuſto ligauerit in terris: aliâs gladius temporalis vſque ad ſpiritum pertingere non poteſt. Secus eſt de ſpirituali gladio pertingente vſq; ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum. Ex eodem quoque fonte procedit, quòd lex ciuilis, quæ tantùm obligat ad pœnã, poſt ſententiam latã de perſoluenda mulcta ſeu emenda obligat ad culpam. Nam culpam incurrit, qui fiſcum fraudat emenda poſt latam ſententiam. Sed vnde id quæſo? non quidem vi & energia legis ciuilis, verùm auctoritate eius, qui ait: Non ſine cauſa gladium portat. Dei enim vindex eſt in iram ei, qui malũ agit. Ideóque neceſſitate ſubditi eſtote, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Vides itaque vt ſententia iudicis ex iure diuino conſcientiam afficiat: quod efficere non poteſt primaria legis inſtitutio, quæ ſolum ad ſe euocat pœnam non culpam, etiamſi diuerſam ſententiam quadantenus tueatur pontifex Adrianus promiſcuarum inquiſitionum, (quas quodlibeticas vocãt) quæſtione ſexta. A quo diſſentire cogor, ea potiſſimũ parte, qua ſentit principis mandatũ laici obligare ad culpã. quod omninò non admiſerim, niſi in tribus qui enumerati ſunt caſib⁹, contẽptus videlicet, ſcãdali, & furti. Neq; enĩ ſufficit grauis neceſſitas in cauſa, quæ ante promulgationem non obligat. neque intentio obligandi in ſuperiore, niſi inſuper accedat diuinitus conceſſa facultas ligandi conſcientiam. De qua non ita conſtat in ſeculari principe, qui ligandi & ſoluendi poteſtate caret. De quo præterea ſcriptum eſt: Nolite ti

mere

mere eos, qui occidunt corpus, & post hoc non habent quid faciant. Vt ergo princeps laicus soluere nequit cōscientiæ vinculum, ita nec ligare. Vtrunque autē potest ecclesiasticus, nempe & dispensare à voto, & obligare consciētiam ex rationabili præcepto. Proinde messe ten⁹ propria iubeat princeps sub interminatione, scilicet aut pœnę corporis, aut rerum iacturæ; & externa contentus pœna, non vsurpet temerè vinculo alligare conscientiam, cuius habenæ tantùm subiacent iuri diuino, naturali, & ecclesiastico. Ius siquidem naturale ante descriptum decalogum obligabat ad culpam, cùm scriptum sit: Gentes quæ legem non habent, sibiipsis sunt lex. De diuino planè cōstat. Ecclesiastica autem facultas super interiorem hominem manifesta est ex more ligandi & soluendi, id quod ad conscientiam pertinet. Si igitur princeps quempiam ad munus ciuile obeundum, necessitate nondum comperta, compellere pergit: comminari pœnam potest. Quòd si ad ecclesiam negocium referatur: ipsa est causa, quæ potest ligare conscientiam. Frustrà enim ligare intendit animum, cui non est concessa ligandi facultas. Dum ergo audis ex diuo Paulo: Serui, obedite dominis: & subditi principibus, vtpote Regi tanquā præcellenti: & ducibus tanquā ab eo missis. Id quidem si ad culpā referas, restringendum est, dum iubent quod est iuris diuini & naturæ: in reliquis autem transgressionibus sola imminet pœna aut corporis, aut rerum iacturæ. Intolerabilis foret alioqui legis censura ciuilis, quę nedum sæuiret in corpus totamq́ue subditi supellectilem, verùm & in ipsam animam: cùm tamen constet prophanos &

Ethnicos

Ethnicos imperatores summa imperij potestate fretos, nunquam suis legibus attingere aut voluisse aut potuisse interiorem hominis conscientiam. Accedente autem euangelica luce, nihilo aucta fuisse censetur laica potestas: cùm tamen ecclesiastica ab euangelio ligandi ac soluendi sumpserit auctoritatem: adeò vt ea ipsa ecclesia, quæ ius relaxando peccati vinculum dissoluere potest, poterit etiam legitimè aliquid statuendo obligare ad peccatum. Et quæ plurima ex causa legitima sub pœna excommunicationis prohibet, ea ipsa vetat sub pœna peccati: quæ si à principe laico prohiberentur, pœnæ tantùm non culpę onus secum adueherent. Proinde nemo dixerit medicum saluti necessaria imperantem, suis legibus arctare posse ægrotum ad mortale: qui tamen nisi parcat, peccat: non vi legis medicæ obligantis, sed quia sibi mortem consiscit ægrotus. Non igitur culpam parit mandatum, sed graue damnum illatum. Vti in eo qui obedientiam iurauit, vbi non paruerit operam seriò exigenti, peccat quidem non tam ratione mandati, quàm iuramenti violati. Ita & lex ciuilis si quam post se culpā neglecta relinquat; huiusmodi culpa non tam ratione legis obligantis, quàm ratione iniuriæ inde sequentis emersisse censenda est. Ex aduerso autem frustrà quis obiecerit, asseuerans neminem posse ligare ad culpam, nisi qui valeat pœnam illi culpæ debitam infligere. Id enim falsum esse constat ex eo quòd quiuis valetudinarius iudex noxium aliquem morti adiudicare potest, cui toto virium conatu mortē inferre non posset. Satis enim fuerit, si iuris dicendi habeat potestatem, ita vt inde sequatur (cœlo approbante) effectus.

fectus. Id constat de sententia diui Petri in Ananiam & Sapphiram (domino approbante) lata & executioni demandata. Poterat quidem Petrus decretum pronunciare: at non ita poterat sententiam executioni demãdare. Hoc vnum instar est omnium, quod dominus concessit ecclesiæ, dicens: Quæcunque ligaueris super terram erunt ligata & in cœlis.

Nec omnino aut dissimilem aut imparem à domino obtinuit facultatem veteris synagogæ maiestas, nempe stringendi conscientiam in his, quæ ad fidem moresque pertinent. Id enim palam testatur Moses Deuter.17. ita pronuncians: Si difficile & ambiguũ apud te iudicium esse perspexeris, siue in causa criminali, siue ciuili, hoc enim est quod ait: Inter sanguinem & sanguinem, fundendum scilicet vel non effundendum: causam & causam, cùm scilicet de re ciuili agitur, cui potissimum attribuenda sit res controuersa. Plagam & plagam (vt Hebræa habet) vbi de iniuria agitur citra mortem punienda: venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Ex quo constat comitia eorum legitima (domino ita prouidente) errore caruisse. Haud dubium quin fœlicius longè & augustius huiusmodi priuilegium ecclesiæ sponsæ à domino fuerit concessum, qui ait: Ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi. Sed ea de re aliâs copiosius. Et facies quodcũnque dixerint qui præsunt, & docuerint te iuxta legem eius. Iam non est cur aliquis diffidere possit, cùm in ambiguis præsumatur secundum legem, si quid legi cõgruere definitur. Nec ex liquido & manifesto contrarium apparet, pæsertim cùm

cùm iam prædixerit dominus ex huiuſmodi comitiis prodeuntia decreta ad veritatis lineam pronunciãda. Sequerisque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Huiuſmodi ergo interpretatio in dubiis, ſiue in credendis, ſiue in agendis: hoc eſt, in his quæ ad fidem moréſve pertinent: legis habebant vigorem. Erat igitur credendum docenti, & parendum iubenti. Et vtrũque adeò exactè, vt nec augere quicquam minuerêve liceret. hoc eſt quod ait: Nõ declinabis ad dexteram aut ad ſiniſtram. Hic quis neget huiuſmodi legibus obligari conſcientiam ad credendum interpretationi per ſynagogam latæ, tantiſper ſcilicet donec à domino deſerta exauthoraretur, qui ait: Auferetur à vobis regnum, & dabitur gẽti facienti fructus eius? Nec obeſt quòd prophetas ſcribas arguat mẽdacij, arguens ac pronuncians ſtylũ ſcribarũ mendacem: Non enim de priuatis Scribarum decretis loquimur, verùm de publicis ac legitimis ſynagogæ comitiis iuxta huiuſmodi decretum celebratis, vti nos dicere ſolemus de conciliis legitimè congregatis. Obligabatur itaque conſcientia ſubditorum ad credendum & parendum huiuſmodi decretis, cui obligationi accedebat interminatio mortis his qui palam reſiſtere auderet, & prouulgatæ ſententiæ contumaciter obuiare. Decernebat autem huiuſmodi interpretationem ex concilio ſacerdos, iudex verò ſententiam mortis aduerſus contumacem pronunciabat. Fuit enim quando erant ſoli ſacerdotes, qui & ipſi iudices erant: aliquando verò ſacerdotibus acceſſerunt iudices. Hoc manifeſtant tempora Iudicum à Ioſue deinceps. Porrò ſunt qui ita legunt:

Qui

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino deo tuo: (Ecce decretum ſacerdotis obligans conſcientiam ad credendum docenti, & ad parendum iubenti.) Ex decreto iudicis morietur homo ille. Ecce condemnationem per iudicem ad mortem corporalem, ſed non in quemuis, ſed tantùm in rebellem & contumacem. Ibi ergo deſcribitur vtriuſq; gladij poteſtas, ſpiritualis inquam, & temporalis, & earum inter ſe diſcrepãtia: vt latius diſſerit Dionyſius Cartuſienſis in hũc Deuteronomij locum. Et ſpiritualis quidem auctoritas ipſo Chriſto domino probatur, dum ſynagoga vigeret, per hæc verba: Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæ dicunt, facite. Illud tamen profitebor ingenuè, cõceſſam obligandi ſynagogæ facultatem non tam latè patuiſſe, vt eſt ea quæ penes eccleſiam reſidet ligandi ac ſoluendi à domino cõceſſa facultas. Et illa quidem interiit, dicente Paulo: Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. Hæc autem æternum duratura manet, præſertimque vſque ad conſummationem ſeculi. Quin & ſuper hoc à quibuſdam dubitatum eſt, an apud ſynagogam conſentientibus in vnam ſententiam inferioris ordinis iudicibus appellare liceret. Id quod in eccleſia licitum eſſe conſtat. Hoc enim ex obliquo prohiberi videtur, ſeu argumento à contrario ſenſu, cùm dicitur: Si iudicum intra portas tuas videris verba variari. Verùm valeat hæc ratio quantum poterit, ſuum cuique liberum ſit iudicium. Eccleſia igitur cùm ſuo iure poſſit interpretari ſcripturam, & lege cauere, ne quis ab huiuſmodi interpretatione recedat, vti

olim poterat synagoga:cùm suo decreto cauerit catholici conscientiam suis teneri legibus, nemo iam dubitare potest fidelium cōscientiam obseruandis eius præceptis fore obnoxiam.

Hac Esdrā potestate legimus vsum, primi Esdræ 7.etiam cū accessione sæcularis potestatis illi à Cyro vltrò concessæ : quam etiam tum maximè exercuit eiusdem 10.cap. cùm inita cum externis gentibus coniugia legitimo decreto dissoluit,materiam sua interpretatione illegitimam declarans . Quicquid tandem fuerit de executione , quæ non ita expressim habetur neque Esdræ neque Nehemiæ nouissimis capitibus . Mundaui(inquit) eos ab omnibus alienigenis vxoribus.Sic enim habēt verba Nehemiæ . Illud quoque adiiciens : Quòd si qui abessent à legitimis comitiis suo tempore designatis,abiicerentur à synagoga. quod genus pœnæ speciem quādam præ se fert excōmunicationis, qualem tum synagogæ ferebat ætas, cōditio.Omnis(inquit)qui non venerit in tribus diebus iuxta cōsilium principum & seniorum : auferetur ei tota substantia eius; & ipse eiicietur de cœtu transmigrationis. Ex quibus patet penes synagogam fuisse ius gladij spiritualis,atque eius exercitium in longa tempora perdurasse. Cuius rei indicium præbet Ioannes cap.9. Iam conspirauerant Iudæi,vt si quis eum confiteretur esse Christum,extra synagogam fieret. Et illud Ioannis 16. Absque synagogis facient vos. Patet ex his diuersam esse gladij spiritualis à seculari & prophano potestatem . Hic enim corpus , ille verò percellit animum.

Nec mihi obiicias , quòd in casu necessitatis tenetur

netur ſuccurrere ſubditus reipub. extremo pericu-
lo laboranti. Nam & ipſe princeps ad id quoq; obli
gatur. Non igitur lex principis eſt, quæ eo caſu li-
gat, eo enim caſu ſubditus, authore principe, obli-
gari poteſt ad ſubeundam vel militiam vel præfe-
cturam, ſed vi ſuperioris vinculi ſcilicet naturalis,
quale eſt iſtud: Vnū pro multis dabitur caput. adeò
vt ab hoc vinculo nec princeps ipſe eximatur, qui
alioqui ſua lege non tenetur. Hoc igitur intereſt
inter laicum & eccleſiaſticum, quòd præter cauſam
iuſtam & intentionem obligandi, eccleſiaſtico con-
ceſſa eſt facultas ligandi & ſoluendi conſcientiam,
quæ minimè competit laico. Quòd ſi obieceris pe-
nes laicum eſſe poteſtatem abſoluendi ſubditum à
præſtito iuramēto: id non pendet ab auctoritate ſui
ordinis. Nam quiuis etiam è plebe poteſt liberare
quemlibet ſibi ex contractu aut iuramento obliga-
tum. Secus eſt de poteſtate diſpenſandi in eccleſia-
ſtico.

Iam ſi vltra pergis inquirere, quid de parentum
auctoritate cenſendum ſit: an ea ſcilicet penetret cō
ſcientiam etiam præter concurrentiam iuris diuini
& naturalis, quæ hic vt & in cæteris obligat? Dicen
dum vtiq; eſt, quod etſi non ex verbo ligandi: ex a-
lio tamen loco ſtringendæ conſcientiæ vires acce-
pit. Scriptum enim eſt: Honora patrem & matrem:
quos qui non honorauerit, morte moriatur. At hu-
iuſmodi honor ſpecialem in re familiari obedien-
tiam exigit. Qui ſi denegetur in re præſertim graui
& neceſſaria, afficit animum in his, quæ per ſe pec-
cata non forent. Vt ſi pro iuſta & graui cauſa ſeriò
iubeat pater, ne ludat pro tēpore, neue comeſſatio-
ni vace

ni vacet filius. Quod vt clarius intelligas, constat quòd vbi pater filium à fornicatione absterruerit: si minimè paruerit, filius bis offendit. Primùm quidem aduersus præceptum decalogi, deinde aduersus obedientiam patri iure diuino debitam. Hæc autem inobedientia culpabilis est ex incidentia mandati paterni. Ligat igitur filij consciētiam obedientia patri debita in rebus seriis & grauibus. Nam & speciali quadā nota inurūtur à diuo Paulo parentibus inobedientes, atque etiā Deuteron. 21. Quousque autem obliget, prudentis est moderatum ferre iudicium. In reliquis prophanis potētatibus nō tam pura inobedientia, quàm rebellio, aut scandalū transgressores in crimē vocat de quibus dictum est: diis non detrahes, & principi populi non maledices. Et, Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit. Ideóque hoc interest inter paternū ac ciuile dominium, vt pater, etiam ethnicus, suo pręcepto, grauiter quidem ac maturè lato (vtpote ad rei familiaris tranquillitatem plurimum conferenti) stringere possit cōscientiam filij: id quod minimè potest ciuilis princeps, sed tantùm inferre mulctam aut corpori aut rebus. Paternæ siquidem inobedientiæ sequela, culpa est: cui si rebellio accesserit, mors ipsa sequitur, iuxta illud: Qui non obedierit patri aut matri, morte moriatur. Legis verò neglectæ mulcta in corpore tantùm aut rebus, ademptis rebellione & scandalo, vti suprà dictum est.

Patet igitur ex prædictis, tantùm abesse vt quiuis sęcularis (etiam si supremis fuerit in temporalibus princeps) suo edicto possit obligare conscientiam: vt quamuis possit indicere mulctam, nunquam

tamen valeat interminari culpam aut iubendo quicquam, aut vetando sub pœna peccati. Cuius rei fidem facit Iustinianus: qui cùm de religiosis & sumpti. funerum in.l: Alearum lusus. eousq; progrediatur, vt tribuat ius repetendi lucrum à victore receptum, vel ei qui perdidit, vel eius hæredibus, aut certè fisco, aut ei qui publicam curam pauperũ gerit. Non tamen eousq; progreditur, vt victoris in ludo conscientiam obliget ad restituendũ: cùm nulla pœna conscientiam astringat nisi post sententiam latá. Nec sic quidem directè princeps laicus attingit secretius animæ forum, sed indirectè tantùm: vtpote quia per huiusmodi sentẽtiam, transfert dominium rei in fiscum, aut laicũ, aut ecclesiasticum in fauorẽ pauperum. Qua trãslatione facta, detentor rei adiudicatę rem alienam detinens, furti aut quadantenus peculatus incurreret, & ea ratiõe teneretur furti in rem alienã. Lex igitur per se non ligat cõscientiam, sed transfert dominium: ex qua translatione subsequitur obligatio restituendi rem detentam suo domino. Nemo enim diceret quẽuis priuatum sua au-ctoritate posse obligare conscientiã alterius quamuis possit rei apud eum depositæ transferre dominium in alterum. Qua translatione facta, si depositarius esset in mora reddendi donatario, quod donatum est: furti reus censeretur. Sic nunquam casus occurrit, quo quis dicere possit legem ciuilem attingere posse conscientiam, vt statim directè obliget ad culpam.

Si quis tamen obiter requirat, an lex cõtra aleatores lata tantùm efficere possit, præsertim apud eos qui sunt obnoxij legi imperiali nõdum abroga-

tæ: vt etiam teneatur victor in ludo aleæ ante sententiam latam erogare vel pauperibus, vel fisco, vel ei cum quo sine fraude lusit? Illud respondendum occurrit, quòd cùm victus in ludo nec fraude illectus, nec vi impulsus, spontè sciens & volens rem suam vincenti tradiderit: Ius in eam rem sit acquisitum victori, etiam iure donationis naturali: vt aperte liquet ex. §. per traditionem. institut. de re. diuisi. Nec obest turpe lucrum à parte victoris. nam lucri naturam non perdit seu veri quæstus ac veræ possessionis, tametsi turpitudo accedat. Exemplum habes in meretricio quæstu, turpi quidē, sed nusquam per legem irritato. Hic autem lex tribuit ius repetendi, non tamen irritat contractum, ac proinde non impedit translationem dominij à victo in victorem. Manet ergo vincens in ludo aleæ spontaneo & minimè fraudulento, vbi victus rei perditæ erat verus dominus. Aliâs lex vix tolerari posset, qua caueretur: quòd quicquid aleæ iactu vincens à victo obtineret, sit restitutioni obnoxium. Ea siquidem lege vbi quis per iactum aleæ perderet centum aureos nummos, statim transirent in dominium pauperum. Quod si vincens eos ipsos perderet: teneretur victor in centum aureis nummis apud pauperes. Nam illi iam sunt in ære fisci ecclesiastici. Qui ergo secundò lucratur: debet centum scuta, non quidem illa priora cùm non essent in bonis eius qui prius vicerat. Restat igitur vt alia centum debeantur, nisi dicas ea parte edictum legis esse irritum: sicque tandem fiet, vt ex centum illis aureis nummis, decies vicissim ludo aleæ fusis ac refusis, fisco pauperum lucrum accedat mille aureorum. Cui senten-

teus huiusmodi peccatum absoluitur à debito? Dicas forsan aliud esse in causa, ne scilicet duplicatum onus durum nimis videatur, ac minimè toleran dum. Ideoque lex parcit in posteriore casu, quæ tamen in priore seueritatem exercet. Sed ista magis priuatim conficta sunt, quàm lege aliqua declarata aut decisa. Ideo qua facilitate dicuntur, pari reiicienda veniunt. Verùm demus, quòd pecunia ista redeat ad primum possessorem lege ludi aleatorij: eritne pauperibus debita? Ita enim iubet lex etiā geminata ratione: bis enim turpis lucri personam sustinuit. Cæterùm huic contrarium est quod lege cauetur: ius esse repetēdi pecuniam perditam apud eū, qui eam primùm perdiderat. Ideoq; perplexitatē quandā in se cōtinent verba legis huius: quę euolui non potest, nisi semel abiecto restitutionis iugo.

Neque id (nisi vehementer me fallit iudicium) expedit lege decerni ita irritari contractum in ludo aleæ, vt victor restituere teneatur aleatorium quæstum, nisi quem aliâs ludo perdiderit. Id enim præstare posset occasionem frequentius iterandæ aleæ, vt est hominum ingenium in propriam pronum libidinem. Procliuior erit eius animus ad quæstum alium faciendum ex huiusmodi pecunia fisco addicta, quàm ad abdicādum eam à se, vt cedat pauperū vsibus. sicque quod lege extingui debuerat cupiditas per occasionem accendet. Satius ergo fuerit suo quemq; relinquere consilio. Accedit præterea onus aliud, quòd qui mala fide detinet rem alienam, quicquid inde sequitur emolumēti, obnoxiū est restitutioni erga dominū rei. Si igitur ex quæstu aleatorio victor mille scuta compararet: sequens est, vt ea

omnia cederēt vſui fiſci,vel pauperū:quæ res cederet in grauē laqueum animarū his potiſſimū dieb⁹, quib⁹ cupiditas iualuit,ita vt charitatis ardor pene ſit extinctus. At legem oportet eſſe temperatam, ac prouide inſtitutā:ne dum leuia ſupprimit,inde grauiora ſequātur. Diſtinct.quarta:Erit autē lex iuſta, poſſibilis loco temporiq́; cōueniens neceſſaria,vtilis. Huiuſmodi ergo reſtrictio reſtitutionis, ad id in quo quis factus fuerit locupletior,locum tantùm habet in bonæ fidei poſſeſſore: vti ſuprà lege probatum eſt. Alioqui is qui mala fide poſſidet, tenetur ad reſtitutionem rei non ſuæ,& fructuum inde prouenientium. Si igitur centum ſcuta ex ludo párerent aureorum nummorum myriadē,id omne cederet vſui pauperum. Quòd ſi aleator quæſtum ſuæ victoriæ perderet:teneretur nihilominus ad reſtitutionem rei alienę ſua culpa pereūtis,vt qui ſemper fuerit in mora. Hoc autē onus quàm graue ſit,quiſque per ſe coniectare facilè poteſt. Eſſet igitur illa lex in laqueum,& in captionem,& in ſcandalum.

Ad hæc mihi dicat, qui partē tuetur aduerſam: ſtatim poſt obtentā victoriam ex caſu aleæ,in cuius bonis erit recepta pecunia(nondū enim ius eſt quęſitum)aut fiſco imperiali,aut pauperum? Iure caret perdens,cùm in turpi cauſa melior ſit cōditio poſſidentis,ex.l.tertia de cōditionibus ob turpē cauſam, Codice. Supereſt, vt niſi res pertineat ad victorē, in nullius bonis ſit: At quæ in nullius bonis ſunt,efficiuntur occupantis. Erit igitur dominus victor huius pecuniæ. Quare non cenſebitur obnoxia reſtitutioni,præſertim nondum lata ſententia. Id quod ab initio prætendebatur. Contrariū ſentiunt Abbas Siculus in

lus in ca. Clerici. de vit.& hon.cleri. Itemq; Petrus Paludan⁹ in 4.sed in cassũ nisi legẽ ꝓferãt, qua sua dicta probẽt, ac stabili fundamẽto cõmuniant. Illud certè constat, turpis lucri sordes ipsum quæstũ non extinguere sed maculare tantùm. Manet igitur lucrum penes victorẽ, tametsi maculatũ & sordidum. Huc accedit, quòd res tribuẽs actionẽ repetẽdi huiusmodi lucrũ, nulla adhibita particula irritãte mutuo cõsensu contractũ initum: tacitè fatetur huiusmodi contractũ virib⁹ subsistere. Standũ igitur erit in hac sentẽtia neminẽ scilicet ante latã cõdẽnationẽ (si tamẽ id lege non abrogata caueatur) teneri in conscientia ad turpis lucri (modo ne sit etiam iniustum) restitutionem: vti nec quisquã nomine mulctę cuiquã persoluẽdæ obligatur, nisi prius cõdẽnatus.

Illud superest excutiendum: Cùm ista duo sint in cõfesso, quòd penes victorẽ in ludo aleæ sit ius retinendi quæstũ aleatorium, donec ex aduerso sententia interuenerit, à parte autem victi stet ius repetendi rem ipsam ludo aleæ perditam: an etiã inter moras ante actionẽ intentatam victus apud se detinere possit citra iniuriã rem ipsam cõtrouersam, quã scilicet casu aleæ ꝑdiderat? Sũt qui velint penes alterutrum seu victũ seu victorẽ esse ius retinẽdi huiusmodi pecuniã. Ita enim visum est dño Adriano Traiectensi in quarto. Nã de victore nemo dubitauerit: de victo aũt quo iure possit rẽ à se perditã retinere, nõ ita perspicuũ est, si adhuc ipsa victori tradita nõ fuerit. Nam post traditionẽ, aut vi aut fraude eripere rem perditam, iniquũ foret. Quæstio igitur est, vbi res nondũ fuerit tradita, aut aliàs aliqua occasione ad suas manus redierit. Visum itaq; est, quòd ius re-

petendi victo lege cōcessum tantùm efficere possit, vt iusta sit penes victū rei cōtrouersæ detentio. Idq́; ob hanc vel maximè causam, quòd quicūque ius habet repetendi sibi à iure concessum, si casu fortè ad suas manus deuenerit res precio æquipollens de bonis eius, à quo repetitio faciēda est: illam potest retinere, qui ius habet repetendi. Nihil autem refert, quid de æquipollētibus fiat. Poterit igitur rem ipsam, si ad manus suas deuenerit retinere. Et id quidem videri potest de re nondum tradita, tametsi lucro à victore quæsita, nondum enim est completa possessio penes victorem. post traditionem verò, nō perinde liquet. Videndum enim est quomodo peruenerit ex manibus victoris ad manum victi. Nā si per modum depositi: non apparet quomodo possit detineri inuito domino. Si vi, aut fraude recepta est, minus. Non igitur facilè quis dixerit, quo titulo quáve conditione iusta detineri possit res illa inuito domino. Nam ius repetendi dat spem futuræ possessionis, & non tollit dominium rei quod est penes victorem. Non enim possunt esse duo eiusdē rei domini ex æquo. Quare res illa nō potest detineri à victo, inuito aut vnico, aut certè principali dn̄o. Tametsi enim habeat ius ad rem repetendam, non tamen habet ius in re. Quare nō videtur quo iure eam detinere possit, renitēte vero domino, imò & re nōdum etiam tradita, sed per mutuum contractum quæsita, quem contractum princeps nō irritauit: tametsi turpe in ea lucrum declarauerit, manet tamen verū dominium penes victorem. Quod si verum est: quomodo poterit victus detinere rem alienam, & à victore lege ludi & mutuo cōsensu per principē nō irritato

iam

ſam acquiſitam? Imò ſpeciem exhibitionis habet. Id quod fieri ſolet, dum ſcilicet nummi vtrinque ludo exponuntur continuo ceſſuri in ius illius, à parte cuius iactus aleæ fœlicitas ſteterit. Id quod arguit plenum, aut certe præcipuum rei quæſitæ penes victorem dominium. Ex quibus apparet detentionem rei (de qua agitur) à nemine poſſe vſurpari citra conſenſum victoris, qui verus præcipuus eſt dominus. Et de hac re hactenus. Vtcunque tamen hæc ſententia aut ſtet, aut cadat: ex his quæ dicta ſunt, cõſtat legem ciuilem nunquam per ſe & directè progredi poſſe vſque ad obligationem conſciẽtiæ, niſi in contemptu, ſcandalo, aut conſtituẽdo rei alienæ detẽtorem in mora. Quæ poteſtas nõ aſſurgit ad eam (quam diximus) eccleſię à domino traditam ligandi ac ſoluẽdi facultatem. Poteſt igitur eccleſia ſoluere & ligare ad culpam: laica verò poteſtas ad pœnam vel mulctam. Sícq; gladius iſte afficit corpus, ille vero animum. Et ſicut culpam indicere non potuit olim Cæſar Auguſtus: ita nec hodie imperator Roman⁹. Immota enim manet apud vtrunq; poteſtas laica, nec à Chriſto vel imminuta vel aucta. Secus de eccleſiaſtica poteſtate cenſendũ eſt: de qua illud legimus euangelicum: Quęcunque ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlis: & quæcũq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Id quod alio etiam loco recenſitum eſt. Id autẽ nouiſſimè ſubiungẽdũ cenſui ex Petro Mõtio ſuæ farraginis lib. II. percunctante ac ſubdubitãte, quomodo ad lineã iuris & æqui princeps poſſit exigere à viatore peregrino viatici nomine, aut pro perſona, aut

na,aut pro rebus,vectigal aliquod? Qua in re æquũ censeri potest, quòd princeps exigat aliquid compendij ratione aut pedagij, aut guidagij: cùm illud cedat in vtilitatem viatoris, etiam peregrini, modò id præstet, cuius velamine tributum exigitur, & modò ne plura requirat quàm necessitas exigat. Nisi fortè hoc prætextu suam cupiditatem tegere velit, quòd iure quodam repressaliarum hęc tributa petat ab exteris, quæ vicissim exteri exigunt à suis. Quod quidem speciem haberet æquitatis, si illud cederet in compensationem iniuriæ suis subditis illatæ: vt scilicet iniuriam passus ea parte lucrũ sentiret. Quod minimè fieri videmus, nisi quis forsan credat in hoc subditos subleuari, quòd nisi ab exteris tributa leuarentur, indigenæ grauius onus subirent. Hoc saltem fateri oportet, nihil esse exigẽdum ab exteris, nisi quatenus cedit in eorum vtilitatem, quando illi nihil exigunt à nostris. Hic enim locum habet quod dicitur: Eadẽ erit lex colono & aduenæ, qui ingreditur portas tuas. Et si prætereũtis asinum sub onere cadentem subleuari oportet: magis ab iniuria temperandum, ne scilicet nedũ asino, imò nec viatori nouum onꝰ imponatur. Quinetiam Samaritano viro alioqui barbaro, cura adhibenda est, vt sanetur: quantomagis euitandum est ne vllam à nobis patiatur offensam? Videãt igitur, & suæ saluti consulant, qui condunt leges iniquas, aut qui iampridem latas mordicus tenẽt: ita vt nũquam sit missura cutem, nisi plena cruoris hirudo. Vt enim aer omnibus communis est: ita & viæ vsus publicæ. At nos de publico priuatum facimus.

Nec imparem redolet iniuriam, quòd quidã exteri prin-

teri principes negociatores arcent à marinis nauigationibus, ne scilicet cuiuis liceat apud terras recens inuẽtas pro arbitrio negociari. Quasi verò ea seruitute premi possit homo liber, vt non liceat suas res, cui velit, vendere. Potest igitur si vult barbarus, ex quocunque cœli cardine negociatorẽ in suum commercium admittere. Quæ libertas auferri non potest neque à Lusitano, neque à quouis alio principe, Alioqui tyrannicũ est, & orbi dispendiosum, monopolium prohibere: ne quis publicas merces alia quàm sua recipiat manu, & omnia suis velle complecti retibus: vt quæ vilius emuntur, carius transeant ad posteros. Nam neque ipsi quidem parem sibi legem imponi à nostris æquanimiter ferrent, siquando huc appellerent institores. Porrò id negociandi genus omni iure reprobatur. Nã & vile, sordidum, & abiectum lucrum appellatur: naturaque ipsa duce damnatur ab Aristotele primo Politicorum. Quin & apertè damnatur ex capitulo, Eiiciens, octuagesima octaua distinctione, qui rem ita comparat, vt eam immutatam carius vẽdat. hũc ait Chrysostomus de templo eiiciẽdum. Debet igitur libertas commerciorum omnibus esse communis, nec vllo premẽda est seruitutis onere vel tributi, nisi quatenus communis & iusta necessitas exigit. Et qui non potest ius dicere externis: minus potest legem publicę libertati iniuriosam ferre. Iam quod magis potest esse iniurium, quàm si quis pontem diripiat, vt compellantur homines traiectitium principi pendere tributum? Aut quid inhumanius cogitari potest, quàm naufragium patientibus in eo quod superest non parcere, quibus etiam fera tem-

pestas

pestas pepercit? Proinde sibi caueant huiusmodi legum fautores aut authores, qui vidētes furem, currunt cum eo, & cum adultero portionem suam ponunt. Neque illud abest ab iniuria, quòd nonnulli principes ita propriis inhiant stipendiis: vt nūmismata propria etiam deterioris materiæ precio augeant, depressis externis melioris alioqui conditionis: nisi forte id opponant, quòd raritas precium auget, & publica ad tempus necessitas. Verùm ea cessante, cessare debet quod extra ordinem attentatum est. Ideoque principum assessores ac laterones, si animæ & rebus dominorum suorum consultū esse volunt, summopere considerare ac præcauere oportet, ne aut onerosas exactiōes, aut iudices suæ Reip. præficiant, qui prædonum personam referant, potius quàm iudicum: ne scilicet offensa plebs ac per iniuriam medullit⁹ exhausta, super agrorum fiscalium prouentibus acceptam iacturam sarcire contendat, eo videlicet nomine, vt illata sub nomine principis incommoda (si qua via poterunt) compēsare contendant. Licet enim citra scandalum quæ vna via ablata sunt, alia repetere. Vt si quis mihi volumen abstulerit, potero ego occasione accepta, rei ablatæ æquipolens mihi vendicare. Nam quę vicarij principis per iniuriam inferunt incommoda, ea omnia ipsi imputātur: qui tales, cum facile obsistere possit, elegit, quos sciret aut scire debuit prædę inhiaturos. Idque adeò non obscurè, vt vix possit vlla tergiuersatione celari. Hinc fit, vt pleriq; putent, illæsa conscientia, plebem ablatorum cōpensationē super rebus authoris posse procurare. Vnde & rectè propheta ait: Væ qui prædaris, quoniam ipse
prædaberis:

prædaberis: & cùm prædari desieris, ipse quoque præda efficieris. Sed de hac re hactenus.

Sequens est legis ecclesiasticę seu canonicæ vim atque energiam exponere, hoc est declarare, quomodo spiritualis gladius afficiat etiam animũ. Huius gratia sequitur huiusmodi theorema.

Theorema quartum.

De vi & efficacia gladij spiritualis quomodo animum afficiat, ipsamque cõscientiam liget.

VT regibus iure subest rerum diuisio, directioque corporum: ita & sacerdotibus animorum. Quare sacerdotalis gladius interiora conscientiæ penetrat, vt regum mucrone feriuntur corpora. Huc enim spectat, quæ iure infertur, priuatio Christianæ communionis. Neq; enim vibratur, nisi pro peccato & eo quidem mortifero, dicente domino: Si peccauerit in te frater tuus & cætera. Nihil præterea opus erat probatum in cœlo, si quid sacerdos ligaret in terra, nisi vinculũ ipsum animã teneret alligatam: quare potestatis ecclesiasticæ gladius interiorem animi recessum cõscientiámve suis adstringere potest legibus: dũ scilicet ad subditorũ vtilitatem sub pœna peccati aut præcipit quod vtile est, aut vetat quod noxium est. Vbi politicus legislator hoc solum habet, vt pœnã temporalem exigat: cùm spiritualis etiam culpam transgressori denunciet: cessantibus nihilominus cõtemptu, scandalo & reliquis, sed sola simplici interueniente transgressione. Vt dum quis etiam citra contemptum voluptatis implendæ gratia infra quartum gradum cõtrahit: aut alius per ignauiam ad Eucharistiam suscipiendã in Paschate se dispo-

nere

nere negligit, aut nulla iusta ratione adduct⁹ festis diebus à missæ sacrificio se eximit. Politicus sanè dei vindex est in iram ei, qui, quod malũ erat, perpetrauit, quisque pacem turbauit politiæ. Ecclesiasticus verò ligat cõscientiam statuendo quod aliâs non erat statutum, vetando quod antea non erat vetitum: qua potestate semper vsa est ecclesia, quæ nõ fallitur in fide & morib⁹: vti priore etiam tomo ex Oecumenio in Paulum probauimus. Et hanc potestatem se accepisse à Christo agnoscit, qui ait: Tibi dabo claues. &, Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Id autem de omni statuto aut lege intelligitur, quæ modò iusta sit, vtilis & honesta. Hoc enim verbum dei penetrabilius est omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: cum politica potestas res tãtum & corpora premat, dicente Christo: Nolite timere eos, qui occidũt corpus, & post hoc nõ habent quid faciant. Quod autem Paulus ait: Propter quod necessitate subditi estote, etiam propter cõscientiam hoc verum quo ad resistentes, & in casibus nuper adductis: aliâs nullus monarcha à domino deo vnquam obtinuit, vt legibus suis possit adiungere culpam, si quis eas transgrediatur. Nec ad culpã obligare potest, nisi quis fruatur authoritate eius, qui corpus & animã potest mittere in gehennam ignis. Atqui oracula diuina eam authoritatem præbent ecclesiastico pastori, non item sæculari principi.

Sunt certe in hanc sententiam multa scripturæ sacræ testimonia, quibus liquido apparet spiritualem hunc gladium manu & arte sacerdotis exercẽdum afficere animum etiam vsque ad noxam. Nam

præter

præter id quod dominus ait: Quæcunque ligaueritis, ligata erunt in cœlo: constat huiusmodi ligamen nihil aliud quàm obligationē significare, iuxta illud: Alligant onera grauia imponentes humeris hominū. Si igitur obligatio illa à sacerdote infecta cœlo probatur: ad spiritum pertinet, non ad corpus. Nam corporalia vincula terræ tantum adhærent, cœlestia verò animum afficiunt.

Adde quòd si honorādus est pater & mater sub noxæ & culpæ interminatione, eisq; obtemperandū sit in his quæ ad familiam pertinent, sed terrenam illam quidem ac sæcularem, & (vt sic dicā) prophanam: eadem certe lege, pariq; peccati vinculo obnoxij sunt filij spirituales spirituali patri in his, quę ad regimē interioris hominis pertinent. Nam & patrem se diuus Paulus appellat, cùm ait: Etsi multos pedagogos habeatis in Christo, non tamen multos patres. Nam in Christo Iesu per euangeliū ego vos genui. Nec abludit ab hoc instituto quod idē in Hebræis. 12. ait: Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: multo magis obtemperabimus patri spirituū, & viuemus. Planum est igitur, quòd quemadmodum carnali patri non impunè non paretur, culpa etiam afficiente animum: idem quoque censendum esse de parentibus spiritualibus. Quales sunt pastores, quibus cura incumbit animarum.

Id ipsum persuadent verba Pauli cùm alia plurima, tum his potissimum locis. Primùm in Corinthiis priore c. 7. itemq;. 14. capitibus, vbi præter diuinum mandatum statuta sua disponit, dicens: Dico ego, nō dominus. Quæ nihilominus vult haberi pro

validis,

validis,firmis ac fixis: vt quæ etiam ipsam consciẽtiã arcere possint dum ait: Si quis spiritualis est, cognoscat quæ scribo vobis: quia à domino sunt mãdata. Idemq́; posteriore cap. 13. Hæc absens ad vos scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem, quæ mihi data est in ædificationem. Haud dubium quin ipsam liget conscientiam huiusmodi Pauli facultas. Adde & illud secundæ ad Thess. 4. Si quis non obedierit verbo nostro, hunc notate, & ne commisceamini cum illo. Hic apertè verbũ Pauli sibi non parentes culpa inuoluit, cùm excommunicatio non feratur nisi pro mortali.

Sapiens dum ait in Prouerb. 6. Ne dimittas legẽ matris tuæ. quid aliud quàm spiritualem matrẽ intelligit? quæ olim erat synagoga, nunc verò ecclesia. maximè cùm morte plecteretur, qui superbiens nolet obedire sacerdotis imperio. Deutero. 17. Nõ enim sine graui peccato mors inferebatur, præsertim cùm dicatur in textu: Auferes malum de Israel, cunctusq́; populus audiens timebit. Iam si audiendi erant Scribæ & Pharisæi sedentes super cathedrã Moysi, quis tam impudens vt abnegare possit parem obtemperandi necessitatem, quæ etiam spiritũ afficiat, erga pastores, qui sedent in cathedra Petri? Nam ad vtrosque pertinet quod Sapiens vetat in Prouerb. 22. Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui. Patres certe spirituum potius q̃ corporum, & eorum potissimum qui sunt in lege euangelica: quibus etiam retinendi peccata facultas à domino concessa est, qui ait: Quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Hæc retinendorum peccatorum facultas quid nisi animum afficit, ipsamq́;

ligatam

ligatam tenet conſcientiam? Porrò quod de cathedra Petri dictũ eſt, firmat diuus Chryſoſtomus homilia.86. dicens: Nunc non eſt dicere ſuper cathedrã Moyſi ſederunt ſacerdotes, ſed in ea quæ Chriſti. Illius enim ſuſceperunt magiſterij doctrinam, teſte Paulo, Pro Chriſto legatione fungimur. Nec certe mirum, ſi eccleſiæ præceptum obliget Chriſtianos: quando & ipſos Hebræos conſtat communi ſynagogæ decreto fuiſſe adſtrictos. 2. Machabæorum.10. Decreuerunt cõmuni præcepto & decreto vniuerſæ genti Iudæorũ omnibus annis agere dies feſtos iſtos. Vbi autem præceptum eſt, ibi obligatio. Idẽ dixeris de diebus Phurim, id eſt ſortium, tempore Heſter publico edicto ſtatutis: deq; edicto facto.2.Machab.1.

Verba etiam diui Pauli interioris hominis conſcientiam penetrare idem ipſe oſtendit in Theſſal. poſteriore.2.State (inquit) & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolã. Patet ergo traditiones diui Pauli obligare Chriſtianum. Iam cùm eadem videatur eſſe perſona dei paſtoriſq; contempti: quis dubitet vtriuſq; mandato interiorem affici hominem, culpaq; teneri minꝰ parentem? Quod autem aſſumpſimus, Paulus comprobat in Theſſal.priore.4.Scitis, inquit, quæ præcepta dederim vobis per dominum Ieſum. Itaq; qui hæc ſpernit, nõ hominem ſpernit, ſed deum: qui etiã dedit ſpiritum ſanctum ſuum in nobis. Nihil minus de ſe profitetur ſponſa Chriſti eccleſia, cui ſemper adeſt numinis afflatus, ſponſiq; adhærentia perpetua. Quare qui illius præcepta ſpernit, non hominẽ ſpernit, ſed deum. Huc etiam ſpectant, quæ in hanc

rem priore tomo protulimus. Et hinc emanarūt cōciliorum ac pontificum omnibus metuenda contēptoribus decreta: è quibus pauca de plurimis excerpta sequuntur,

Primum in prologo libri conciliorū Isidori dicitur: Qui canonibus detrahit, blasphemat in spiritum sanctum. In tertio prologo eiusdem Isidori episcopi Hispalensis habetur: Mandamus, vt canones ab omnibus debita veneratione custodiantur, atque ab omnibus futuris temporibus debita veneratione venerentur: quia violatores voluntarij canonum grauiter à sanctis patribus iudicantur: & à sancto spiritu, cuius instinctu & dono dictata sunt, damnantur: quoniam blasphemare spiritum sanctū non incongruè videntur.

Item in prologo concilij Gangrēsis post multa, contra damnantes nuptias, & alia ibi posita sequitur: Si quis renuerit hæc, quæ hodie contra tales constituta sunt, tanquam hæreticus anathematizatus sit.

Item in tertio canone septimæ synodi celebratæ tempore filij Cōstantini magni sic habetur: Si quis omnem traditionem ecclesiasticam vel scriptā, vel non scriptam violat, anathema sit. Et canone. 26. Isidori dicitur: Sicut præuaricatores diuinarū legū, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.

Itē Zozimus papa canone. 2. Cōtra statuta patrū cōdere aliquid vel mutare nec hui⁹ sedis potest auctoritas. Apud nos enim incōuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiā.

Felix papa canone secundo ait: Prima salus est

rectæ

rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis patrum nullatenus deuiare.

Beatus Gregorius canone.39.inquit: Hęc conſona patribus definitione ſanximus: vt qui ſacris neſcit obedire canonibus, nec ſacris miniſtrare, vel communionem capere ſit dignus altaribus.

Nicolaus papa in ſuis decretis canone. 38. ait: Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel pro interdictione imminentium vel futurorum malorũ, à ſede apoſtolica ſalubriter promulgata contempſerit: anathema ſit.

Cyprianus martyr epiſtola.21. Nec putēt ſibi ac ſalutis conſtare rationem, ſi epiſcopis ac ſacerdotibus obtemperare noluerint. Et ibidem: Neque aliũde hæreſes obortæ ſunt ac natæ, quàm quando ſacerdoti dei non obtemperatur.

Cyrillus etiam patriarcha Alexandrinus, cuius dicta Græci ad inſtar euangelij venerātur, ait libro theſaurorum: Vt membra maneamus in capite noſtro, apoſtolico throno, Romanorum pontifice ab eo quærere oportet quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus: quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ligare & ſoluere loco illius, qui ipſum ædificauit: & nulli alij plenè quod ſuum eſt, ſed ipſi ſoli dedit: cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Ieſu Chriſto obediunt.

Item Gregorius Nazanzenus (cuius fuit auctoritas tanta, vt dictis eius nemo fuerit auſus inferre

calumniam, vt dicit sanctus Thomas) ait: Imperatorum potestas lege Christi subiecta est ecclesiasticæ potestati. Ad hanc conclusionem de obedientia fidelium decretis, canonibusque debita faciūt, quæ à Gratiano recensentur. 19. distinct. cap. Si Romanorum. Si omnes. In memoriā. &, Nulli fas est. Denique testimonia in hanc rem certissima.

Quando vbi sunt quæris, per mare quæris aquā.

Non igitur abs re in Hebræis. 4. cap. Paulus ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris redditurі. Vbi non de laicis magistratibus agitur, sed animarum tantum rectoribus, hoc est ecclesiasticis prælatis. Hi enim sunt, de quibus antea dixerat: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum dei. Aliâs nisi ecclesia liget ad culpam: innoxij habebuntur, qui à receptis per ecclesiam euangelistis animi sui leuitate agitati discesserint. Nam ecclesia est, quæ à sponso auctoritate recepta quatuor tantum sibi delegit euāgelistas. Ergône ab omni culpa immunes erunt, qui desertis ecclesiæ Christi sponsæ placitis proprij somnia capitis præcipites sequentur? Hæc autem sunt ecclesiæ decreta ipsius potissimum auctoritate subnixa, diuorum imagines esse venerandas, Signo crucis muniendam esse & carnem & mentem, Deiparam virginem perpetua fuisse virginitate decoratam, eandemque theotocon perpetuo encomio esse celebrandam, Celebrandam quoque esse diem dominicam commutatione facta è septimo in diem octauum. Alia præterea eius generis sunt catholica dogmata, quæ omnem penè numerum superant.

A qui-

A quibus impunè recedere licebit, si obstinata mẽte negemus ecclesiam suis edictis percellere posse conscientiam: vt si quis neget homousion, aut ab vtroque procedere spiritumsanctum. Atqui cum huiusmodi licentia omnes deliramentorum gradus superet, ipsam auris Christiana nullatenus sustinere potest.

Sentiendum est itaque eam, quæ nunc est, ecclesiam: cùm ipsa eadem sit cum ea, quæ primitiua fuit, apostolica: pari lege & obligatione animos mentesque suorum posse coercere. Ita autem potuisse apostolicam ecclesiam cõstat ex eo, quod habetur in Actis. 15. cap. quibus spiritussancti auctoritate functis legẽ ita ferendam esse visum est, quæ etiam animum spiritumque astringere posset: Visum est spirituisancto & nobis nihil vltra vobis oneris imponere quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Ab his ergo quatuor abstinendum erat sub interminatione culpæ. Quorum tamen aliqua ex necessitate in libertatem versa sunt ipsius ecclesiæ auctoritate: quæ ligata soluere, & soluta pro rationis exigentia religare potest. Hæc omnia abundè demonstrant spiritualem ecclesiæ gladium interiorem hominis mentem suis legibus afficere posse: sibique non parentes non pœnæ tantum, sed & culpæ vinculo adstringere.

Hic summa cõtentione reclamãt Christianæ disciplinę osores Lutherani, qui vt vt cætera possint, vtinam valeant tam bene ferre iugum filij ipsi Belial sine iugo. Et qua in re (inquiunt,) præstabunt diuinæ leges humanis, si vtraque lex obnoxiam culpæ con-

pæ conſcientiam obſtringat? Præſtabunt ſanè, ac longè excellent, & quidē multis gradibus. Primùm quidem, vti rectè Felinus cenſuit iuris clariſſimus interpres in cap. Nam concupiſcentiam. ita comparata ſunt diuina inſtituta, vt in omnem (niſi cœlo aliter viſum ſit) euentum obligent: vt quæ verſentur circa materiam in omne temp9 neceſſariam. Secus in præceptis humanis, vbi etiam ex intentione nonnulla feruntur, quæ ſolum obligant ad pœnam. Exemplo tibi ſint conſtitutiones ordinis fratrum prædicatorum. Fieri etiam poteſt, vt lege humana ſolutus euadat ſubditus multis de cauſis.

Primò lex ab homine lata non ligat ſine culpa ignorantem. Cadit autem ignorantia frequentius & ea quidem inculpata tam in humanis, quàm diuinis legibus. In illis enim & excuſatur, & admittitur quis ad probandam ignorantiam. Adde quòd excuſationem rationi conſonam humana iura frequentius recipiunt, quàm diuina. Sed nec in omnibus humanis legiſlator intendit obligare ad peccatum. Subtilitas præterea legum atque adeò obſcuritas à peccato releuat errantem. Error enim iuris obſcuri non imputatur. Sic & conſuetudo cōtraria lōgęua eximit à pręcepto aut à peccato ceſſantem. Idem dixeris, vbi lex humana prudentum iudicio plus vergit in priuatum commodum, quàm publicum. Fieri vtique poteſt, quòd inique diſpenſatis oneribus quis parêre non teneatur: alioqui obligandus, ſi æqua lance diſtribuerentur pondera: vt idem Felinus author eſt in cap. Canonum ſtatuta. de conſtitutionibus. Et id quidem probatur diſtinct. 4. ex cap. Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis,

ſibilis, ſecundum naturam, & ſecundum conſuetudinem patriæ, loco temporique conueniens, neceſſaria & vtilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem incautum captioſè contineat: nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. At longè aliter res ſe habet in legibus diuinis. Iuſticiæ enim domini rectæ, lætificãtes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Timor domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi: & iudicia domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Deſinat itaq; oblatrare aduerſus eccleſiam hæreticus: qui falſò illi imputat, quòd eadem velit metiri pertica humana præcepta cum diuinis: cùm ex dictis planè conſtet non eandē eſſe in vtriſque obligandi rationem. Cùm tamen in ſuo quæq; gradu ſubditi conſcientiam teneant alligatam. Verùm non ita aut exactè, aut frequenter humana lex obligat, vt diuina.

Præter hæc ea parte inferior eſt conditio legis humanæ à diuina, quòd humanæ leges, etiam vbi aliâs obligarent ad mortale, cedunt periculo mortis. Nam præceptum de vitando excommunicato in periculo mortis non obligat, niſi fieret in odium religionis Chriſtianæ: quo caſu prius mors ſubeunda foret vt de eſu porcinæ in Machabæis communis doctorum ſententia eſt. Sic præceptum de ieiunio cedit periculo mortis, imò & de ſumenda in Paſchate Euchariſtia. Secus autem in mandatis diuinis. Nam fornicatio non cedit mortis periculo, imò nec mendacium, etiam ſi ſit venialе tantùm. Solus enim deus eſt dominus mortis & vitæ: qui pro ſuo nutu ac renutu pauperem facit, &

ditat: mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. Cui vas figuli non poteſt dicere, cur hoc agis?

Quòd ſi quis obiecerit, etiam diuinum præceptũ extremæ cedere neceſſitati: vt de laborando in ſabbato, vt mors propria vitetur. Dicẽdum quòd præceptũ non cedit, ſed ceſſat materia præcepti ex declaratione diuina: quia cuius eſt cõdere, eius eſt interpretari. Vti etiam eodẽ authore in extrema neceſſitate ceſſat materia furti: qui diſcipulos in alieno agro ſpicas vellentes nedũ non reprehendit, imò potius excuſauit. Quin & Dauidis factum, dum pane propoſitionis vteretur, poſteritati dedit in exẽplum.

Accedat & hęc diſcriminis nota diuinę legis ab humana, quòd rationabilis aliqua, ob quã minimè parendũ ſit, cauſa ſeſe offert in hũana lege. Id quod non accidit in diuina. Huius ſententiæ author eſt Panormitanus de obſeruatione ieiuniorum, dicens in præcepto legis poſitiuæ admitti poſſe exceptionem cauſæ rationabilis: qua emergente, eccleſia ea conditione laborantem obligare non intendit. Et huic ſuccinit cap. Si quãdo. de reſcriptis. De rationabili tamen cauſa, niſi ſit ipſa euidens, ſuperior iudicabit: vbi tamen acceſſus ad eum patuerit. Aliâs probi ac prudentis requirendum erit conſilium, vt hinc longe abſit vel dubium, vel ſcandalum.

Alia autem diſcriminis nota hæc eſt, quòd cùm lex diuina maximè innitatur veritati, humana verò plerunque præſumptioni: ceſſabit præceptum humanum, ſi quando in ipſa conſcientia præſumptioni non aſſiſtit comes veritas. Cùm igitur lex ipſa

canonica iustæ semper innitatur præsumptioni, etiam si non semper subsit veritas: sequens est, vt non obliget ipsa conscientiam fundamento veritatis absistente, dum scilicet iudex erret in facto, etsi non in iure. Idoque excommunicatio citra veritatem lata, non afficit innodatum in conscientia: dum tamē vitare studeat scandalum, nec cōuictus sit ex falso testimonio. Ideoque condemnatus ad soluendum, debitū soluere nō tenetur: licet donare possit, si velit. Nec cēsendus est inobediens, vt qui sanā iudicis mentem non verba sequatur. Et ea parte decepto iudici, quanuis iustè pręcipienti, non paretur impunè. Ediuersò autem vbi lex absoluit, remanente tamen causa, conscientia nihilominus ligatur. Nam cōtractus nullus ob defectum tantùm solennitatis, ex consensu nihilominus obligat. Filiusfamiliâs mutuum accipiens, fraude cessante obnoxius est restitutioni: nec se tueri potest Macedoniano. Semper enim conscientia veritati innititur: lex autem exterior iustæ præsumptioni, etiam vbi non semper subsit veritas, vt est hominum plerumque caduca solertia. Vt si quis cogatur recipere non suam, quam probare non potest esse alienam. Ibi enim quod iustè pręcipitur exterius, interius impunè non obseruatur. Iustitiæ enim domini semper sunt rectæ, & veræ: qui non ex visione oculorum iudicat, aut ex auditu aurium arguit. Humanæ autem iustitiæ si non vbique veræ, rectæ tamen semper esse debent.

Alia item differentia est, quòd in legibus humanis lex vsu contrario abrogetur, naturali id persuadente ratione. Atque adeò impediri potest, ne insuper obliget, si ante confirmationem moribus vtentium

tium non sit approbata. Id autem minimè accidit legi diuinæ. Sed hoc parergon.

Iam si de mortali culpa agitur, quando quotiésque præcepto comes adsit obligatio ad mortale: planè cōstat, vt in præceptis diuinis non omnia esse obnoxia culpæ mortali, vt apparet in mendacio iocoso & officioso: ita nec in mandatis omnibus ecclesiasticis. Sunt enim quædam ex materia adeò leuia, parúmque noxia, vt per se venialia tantùm esse dignoscantur: modo absint contemptus, scandalū, & graue alterius detrimentum. In his ecclesia minime intendit suos, quos tenerrimè diligit, filios culpa mortali opprimere. Id quando accidat ex leuitate materiæ, prudens facilè deprehendet. At vbi rei grauitas, & commodi inde sequentis vtilitas, rei quæ præcipitur, exigit obseruationem: præceptum ex materia obligare poterit ad mortale: modo tamen excipias leues motus etiā secundò primos, qui longè absunt à pleno liberoque consensu. Nam nisi interuenerit plenus consensus: quod aliâs esset mortale, id nonnunquam efficitur veniale. Vt in peccato luxuriæ, nō omnis motus ad illam mortalis est, sed pleno cōsensu deliberatus. Iacobi primo, Vnusquisque tentatur à cōcupiscentia abstractus & illectus. Deinde cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Vbi autem aliquis pleno consensu in re ardua & honesta nō tā ex fragilitate quàm ex nequitia ecclesiæ obedire detrectat, quis iam dubitet eum mortali culpæ esse obnoxium? Vt si quis diebus festiuis ne leui quidem irretitus impedimē-

to,

to, sacrificio missæ adsistere negligat, aut in Paschate sacrosanctæ Eucharistiæ more Christiano suscipiendæ se non præparet: culpa illũ vacare mortali quis audeat asserere? Tunc enim mortale esse solet, vbi lata culpa dolo æquiparatur: aut vbi materiæ adhæret vel necessitas, vel insignis aliqua vtilitas: aut certe cùm in canone dicitur, Quòd hoc faciens grauiter peccet. Ita enim censuit Panormitanus in cap. Si celebret. de clerico excommunicato ministrante. Aut si quid in virtute sanctę obediẽtiæ præcipitur. Ibi enim voti transgressorem mortali censet esse alligatum. Siue cum mandato hæc particula adhæret, districtè pręcipimus sub pœna excõmunicationis: nisi vbi forsan, quæ olim vrgebat præcipiendi necessitas, sit iam obsoleta. Tunc enim cessare posset obligatio ad mortale. Posset etiam in aliis non iuxtà grauibus mandatis neglectus admodum frequens ad mortale imputari. Cætera arbitrio sapientis relinquenda, non quidem sapiẽtis huius mundi, verùm eius de quo dicitur: Spiritualis homo omnia diiudicat, etiã secreta dei: alioqui vtcunque res ceciderit, bonarum nonnunquàm mentium est in dubio mortalem timere culpam, vbi for san mortalis non est: Cætera definiat ecclesia: quæ nonnulla ad veniale, quædam verò sub pœnæ tantum interminatione præcipit. Nam sicut deus non omnia præcipit sub mortali, ita nec ecclesia. Vt si quid in ieiunio ex graui tẽtatione omittitur, seu ingenti fragilitate in rebus mediis committitur potius, quàm ex malitia: illud veniale censetur. Vel si quodam velamine rationis apparente, non tamen persuadente, vnde culpam ex parte tueri possit, habeat:

beat: opus illud ad veniale potius accedit, quàm ad mortale.

Præterea ne quid in hac re desyderet, id quoq; prætereundũ non est, ꝙ verba imperandi notam há bẽtia plerunq; non obligãt ad mortale. Id quod plu ribus liquet exẽplis. Christ⁹ enĩ cùm Iudæ hæc ver ba diceret: Quod facis, fac citius permittẽtis perso-nã potius sustinebat, q̃ imperãtis. Erudit insuper po-tius q̃ iubeat dñs, cùm ait: Vide nemini dixeris, sed vade & ostende te sacerdotibus. Ibi enim modestiã docet, & gloriæ inanis supprimẽdum esse appetitũ, vti & hoc forsan loco, Matth. 17. cùm præcepit ne transfigurationem cuiquam reuelarent, donec fili-us hominis surrexerit à mortuis. Quis enim dixerit non licuisse deiparam virginem, reuelante Ioanne, potuisse fieri huius sacramenti consciam? Itemq́ue cùm dicit, Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidũt corpus. Ibi non prorsus omnem ablegat timorem, quando & dominus ipse timoris molestiam passus est: sed eum moderandum esse docet, ne nos auocet ab officio. Simile intelligendum cùm dicitur: Noli-te solliciti esse quid manducabitis. Hoc loco osten-dit sollicitudinem ad lineam rationis esse compri-mendam. non ita tollit omnem mentis prouidenti-am. Vnde & in omnibus his medium tenendum ma-gna cautione demonstrat magis, quàm imperet. Vt cùm dicit: Nolite cogitare quomodo, aut quid lo-quamini. Hic enim anxietati nimiæ frena imponũ-tur. Et cùm ait: Nõ iurabitis omnino, pronũ ac præ-cipitem à iuramenti facilitate remoratur: Vti & à iudicij temeraria promptitudine illud inculcans: Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Nemo enĩ di-

xerit his omnibus per omnia subiacere peccatum. Sic neque Paulus ab omni potu aquæ arcet Timotheum, tametsi ita dicat: noli aquam bibere. Præterea neque illud absolutæ iussionis speciem habet: Caput tuum vnge, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans. Ibi enim sinistra tantùm cohibetur intentio. Medium enim tantùm proponitur, non iubetur. Vt si dicam: Conscende equum, & accerse Ioannem breui huc affuturum: Nihil temerè egerit, qui pedestri profectus itinere Ioannem aduocarit. Finis enim intenditur: media tantùm vt libera proponuntur. Nonnunquam etiam imperandi vocabulum donationem sonat potius, quàm perfectum imperium. Vt cùm dicimus: Accipe, quod tibi offero, munus. Cōsulit etiam dominus potius quàm imperet, dum ait: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes. Alio item loco hortatur & admonet, dicens: Videte, vigilate, & orate: Cui operi etiam Paulus incumbit, cùm ait: Videte quomodo cautè ambuletis. Illud quoq; probantis erat potius, quàm omnino iubentis, quod dominus ait ad Abraham: Immola mihi filium tuum, quem diligis, Isaac. Quibus verbis obedientia tantum præcipitur potius, quàm executio iubeatur. Ex his habes nō passim se offerre occasionem obligandi ad mortale. Neq; id tamen abs re fuerit explorare, quibus notis dignosci possit culpæ mortalis incidentia, cùm temerè infringitur monasticæ disciplinæ aut votum, aut viuendi iurata formula. Qua in re primum animaduertēdum est, toties incidere culpam mortalē, quoties voto solēni astrictus in his, quæ ad essentiā trium votorum pertinent, non tam ex surreptione quàm

ne q̃ ex præcogitato fracti voti reus efficitur. Vt eni veniale, est leui motu á pręscripto legis abscedere: ita mortale, est ex industria temerare votum. Et inde sequēs est, quòd cùm obedientia (quæ tertiā in votis solēnibus sedem tenet) maximè versetur in his, quæ regula speciatim districtè aut pręcipit, aut vetat: itemque locum habeat, & quidem certissimū, dum is qui præest, rem iustam & honestā (quæ etiā faciat ad monasticę disciplinæ nitorē) aut vetat, aut iubet, etiā sub obedientiæ vinculo: constat in his omnibus, eum qui non paret ex certa animi sentētia, reum esse culpæ mortalis. Addo & illud tertium extra verba præcepti: vbi inciderit occasio quidpiam faciēdi, quod in ipsa cauetur regula: quod nisi fiat, proximè immineat grauis rei monasticæ iactura: eum qui temerè negligit, teneri etiam ad mortale. Quod & locum habet, vbi quis rem alioqui leuem frequenti vsu trahit in consuetudinem: vt est frequens & vsitata nimiū silentij infractio, aut euagatio extra monasterij claustra: quorum modicitas veniale, frequentia verò mortale inducit. In his ergo incidere potest lethalis criminis occasio, siue dū ex industria peccatur in his quę ad substantiam votorum pertinent, siue dum præcepta regulæ ex certa animi libidine negliguntur: seu etiam dum aliquid remittitur ad regulam spectās, cuius desertio non leuem adfert monasticæ disciplinæ aut iacturam aut ruinam: aut si id quod omittitur, nimia frequentia trahitur in consuetudinem; etiam si per se aliâs leue & veniale foret. Quæ omnia colligi possunt, partim ex doctorib⁹ iuris canonici, partim diuini: vt videre est apud Hostiensem in cap. Cùm ad

monaste-

monasterium. & de obseruatione ieiuniorum cap. finali: vbi asseritur sicut nec contra votum, ita neq; contra religionē valere consuetudinē. Abbas quoque Siculus eo ipso loco sentit, quòd vbi religiosus aduersus vnum ex tribus substantialibus offenderet, aut etiam aliâs ex cōtemptu à præstito voto resiliret, vel cōsuetudine: eo casu obligaretur ad mortale. Nam veniale etiam transit ad mortale, dum placet. Placere autem dicitur, dum consuetudo assumitur. 25. distinct. §. Criminis appellatio. & in cap. Quicunque. 7. distinct. id ipsum attestatur Archidiaconus. Cætera amplius colligi possunt ex sententia clarissimi præceptoris mei, cuius memoria mihi semper in veneratione futura est, magistri Ioannis Maioris 4. Sententiarum, distinct. 38. quæst. 19. ait enim tunc peccato locum esse, vbi quis transgressus fuerit præscriptum regulæ per verbum teneantur: aut vbi statutum tantæ foret vtilitatis ad nitorem regulę conseruandum, quòd eius obseruatione sublata decoloraretur disciplina, & pręcipitio proxima foret. Est igitur frequens vsus aut euagationis, aut fractionis silentij, aut certè esus carnium, perniciosus & mortalis: cùm ex his non obscurè deprehenditur disciplinæ monasticæ imminere ruinam. Nam ad substantiam voti pertinet disciplinæ regularis incolumitas, quæ in hoc casu frequētī pessūdatur. Aliud est si interpolatè aut rarēter quis aut carne vescatur, aut silentij seu clausuræ leges interrūpat. Aiunt enim, qui onus alleuare videntur, huiusmodi accidētaria non cadere sub voto, sed tātùm sub cōditionibus regulæ iubentis: iubētis quidem, sed sub pœna, non autem sub culpa. Sed quid si

pœnam

ties ad monaſticam prælaturam quempiam euocat: ſimul cum ipſa inſtitutione iuberet ſub interminatione diuini iudicij monaſticũ conuentum ad honeſtam diſciplinã reuocari, iuxta formulam eorum qui in ordine cenſentur eſſe reformati. Aliâs paſtor à negligentia non excuſatur, niſi reclamet, dum lupus ouem rapit.

In ſũma, vti cuiuis in ſua arte perito credendũ eſt: ita ſine culpa abiici nõ poſſunt, quæ viri ſpũales lõga experientia cõſummati cenſuerint apprimè neceſſaria ad integritatẽ diſciplinæ conſeruandam, etiam ſi carnalibus viris cõtrariũ videãtur, nec mirum. Deſipit enim in talibus carnalis. Nam ſtultitia eſt illi. At verò in neceſſariis ad diſciplinã regularem, credendũ eſt ſpiritualibus expertis. Et ſi quæ talia iudicauerint, obtẽperandum potius, q̃ his qui mũdana ſapiunt, etiamſi ſint iuris peritiſſimi. Quãdoquidem (vt dictũ eſt) quęcunq; apprimè cõmoda ſunt integritati diſciplinæ, ſecũ habent obligationem ad culpam, ſi frequenti vſu negligantur. Habes igitur vſquequo, aut voti aut regulæ deſertio mortale crimen inducat. Id quod ad rem præſentem quadamtenus pertinere videtur. Hucuſque dictũ ſit de ſpirituali gladio, quatenus mentem animumq; afficere poſſit. Nunc affinitate quadã ſubiectæ materię inuitamur ad inquirendum, an gladius ſpiritualis eccleſiæ ferre poſſit obligantem legem ſuper actus interiores.

Theorema quintum.

NOn externos tantùm ſponſa Chriſti eccleſia præcipit actus, imò etiam interiores, ſi non per ſe, ſaltem conſecutione quadã.

Vt cùm orationem præcipiendo deuotionem intẽdit,& in peccatorũ confessione dolorẽ,in obsequio charitatis amorem,& pleraq; id genus similia. Nũquam tamen pœnã infert pro actu purè interiori. Neq; enim eousque claues ecclesiæ se extẽdunt. Nã occultorũ cognitor dominus & vindex est,& ea suo reseruauit iudicio. Ipse enim est, qui nec secundũ visionem oculorum iudicat,nec secundum auditum aurium arguit. Homines autem vident, quæ foris patent: verùm deus intuetur cor. Quare omnes animi cogitationes,secluso omni actu exteriori,sunt extra materiam legis humanæ punientis. Hinc & Paulus ait: Nolite iudicare ante tempus,donec venerit dominus: qui illuminabit abscondita tenebrarum,& reuelabit abscõdita cordium. Hæc igitur cordium abscondita humanę censuræ mulctam prorsus effugiũt. Neq; enim in illis incurritur pœna lata aut à iudice,aut à lege: aliâs sentẽtia excommunicationis ipso iure inferri potest pro quocunq; actu exteriori quantũcunque occulto. Nam omnes exteriores actus subiacent potestati legis ecclesiasticæ: non quòd à iudice possint cognosci omnes: habent tamen à natura, quòd subiaceant vel pœnæ iuris,vel sententiæ iudicis: vt si hæreticus suam secum hæresim submurmuret. Qui actus, cum probari non possit, non punitur à iudice: punitur tamen à lege. Non enim est purè occultus, qui ex natura sensu perceptibilis est. Atqui omnis actus exterior sensibilis legi subiacet humanæ, non autem purè interior. Nam spirituum ponderator est dominus. & in cap. Christiana religio.32. quæst.5. non habent latentia peccata vindictam. Quod maximè de

internis

internis verum est. Haberēt autem vindictam si canonis sentētia punirentur. Relinquenda igitur sunt ei, qui solus nouit corda filiorū hominū: vt in cap. Consuluisti. 32. distin. & in cap. Si omnia. 6. quęst. 1. si omnia in hoc sæculo vindicata essent, locū diuina non haberēt. Collige ex his actum externum manifestum puniri à iudice, occultū verò à canone, internum à solo deo: nisi accessione cuiusdam exterioris per quandā sequelam. Nā in Clemētina prima, Ne monachi. vetantur monachi ad curias accedere principum animo nocendi. vbi vnà cum opere prohibetur anim⁹. Externus autē actus q̄uis occultus, subiacet pœnæ canonis. aliâs nihil esset discriminis inter canonē facti, & faciēdi. Sic ergo hæreticus internus omni externo destitutus actu, solū deū habet vindicē & iudicē. Is enim est, qui merito dicere potest, si quādo ad mentem redierit: Tibi soli peccaui, & malū coram te feci, atq; etiā illud adiūgere: Ab occultis meis mūda me domine, & à superbis parce seruo tuo. Si mei nō fuerint dominata, tūc immaculat⁹ ero. Hoc citatur ex ęditione Hebraica. Quòd autē Bonifaciana cōstitutio in cap. Ad succidendos. de schismaticis lib. 6. (vbi excōmunicatur, qui schismaticos Colūnenses pro cardinalibus habuerit & tenuerit) dānat, atq; etiā diris deuouet, vel tantūmodo sentiētes cū schismaticis: huiusmodi sentimēta ad externos actus referēda sunt, tāetsi vehemēter occultos. Aliâs nō subiacent cēsuris humanis: etiamsi glossa eo loco aliud sentire videatur hoc loco minimè recipiēda, nisi quatenus dictū est.

Verùm istud malè habet Campensem in lib. suæ ecclesiasticæ hierarchiæ sexto cap. 16. qui qua ratione

tione persuasus in diuersam abierit sententiã, ipse viderit. defendit ille actus interiores humanis subiacere legibus. Verùm huic animo opus erat aliis viribus ac robore potẽtiori. Primùm nõ assequitur Caietani sententiã de occulto per se, & per accidẽs differentis: qui hac distinctione nihil aliud voluit, quàm occultũ per se esse aliquid merè spũale, quod nullatenus sensibus subiacet humanis: ideoq; nullã pœnã legis meretur humanę. Occultũ verò per accidens sensibile quidẽ est ac perceptibile sensu. Accidit tamen, vt à nemine alio quàm ab ipso authore sensu percipiatur: ideoq; à iudice non punitur: verùm ipsa lege siue ipso iure censuras incurrit, & (quod dicitur) ipso facto. Iam quod in contrarium profert Campensis, albedinis sui visus aciem disgregantis similitudine deceptus, nihil promouet. Dum enim ait ferrum candens & per accidens calidum sic adurere, vt si per se tale esset. Id quidem verum est. Sed quid ad rhombum?

Prosequitur autem asseuerando scripturas ex diuo Paulo aliisq; inductas, vt cum dicitur: Nolite iudicare ante tẽpus, donec venerit dominus. his verbis solùm prohiberi sententiã iudicis. Hoc inquam falsum est. Nã omnino cogitatio interior subducitur à ferula humana, cùm dicatur huiusmodi occulta non subiacere luci humanæ sensibili, sed tantùm luci diuinæ spirituali, cùm subditur: Qui illuminabit abscondita tenebrarũ. Nam suã quæq; lucẽ requirunt exteriora sensum, interiora verò lucem spiritualem. Quæ enim luce fiunt, luce arguuntur: homines autẽ hac luce carent, ideoq; nec iudicare nec vindicare possunt: propter quod simonia mẽtalis

sola

ſola pœnitētia punitur, nō cenſura externa. Nā qui ſolus intuetur cor, ſolus iudicat de corde. Alioqui nemo eſt bonus iudex eorū, quæ nec nouit, nec noſſe poteſt. Huiuſmodi ſunt cogitationes humanæ nulli externo ſenſibili actui vllatenus alligatæ.

Illud nihilominus opponit euangelicum: Quodcunq; ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cœlis. Cùm igitur cogitationes humanæ ſint ſuper terram, poterūt lege puniri. quaſi verò dicat dn̄s omnia quæ ſunt ſuper terrā poſſe ligari. Quid ſi angelus ſit ſuper terrā, an ne ligabitur ab eccleſia? Imò & papa eſt ſuper terram, quem tamen negat poſſe ab eccleſia ligari. Non enim hoc dicit dominus, ſed dicit quòd vbi eccleſia attentauerit aliquid ligare ſuper terram, nempe ad ſuam materiam pertinens (alioqui nihil ad nos de his quæ foris ſunt iudicare. nam ea dominus iudicabit) hæc inquam erunt ligata in cœlis. Nunc autem cogitationes humanæ ſicut & ſpiritus angelici: imò nec ipſa infidelium vita, ab eccleſia iudicari poſſunt. Non enim omnia, quæ ſuper terram ſunt, ligantur: verùm quæcunque ligantur, ligata erant in cœlis.

Quòd autem adducit legem etiā ciuilem attendere quo animo, quàve nocendi libidine, iniuria inferatur: & iuxta huiuſmodi menſuram aut grauiorē aut leuiorem infligere pœnā. Diſtinguit enim inter homicidium voluntarium, & inuoluntariū: quodq; aut magna, aut leui, aut omnino nulla fit intentione nocendi. Hæc cum certiſſima ſint, nihil tamen ſeruiunt ſuo inſtituto. Nam huiuſmodi intentiones actibus externis diſcernuntur: vt ſi auerſo vulnere aut cōuerſo quiſquā percuſſus ſit, aut ſi armat⁹ aut

inermis, aut quis primò litem intentauerit, hæc omnia quid aliud sunt q̃ externa? Et de his quidem iudicari potest. Nos autē de his loquimur, quæ sic interna sunt, vt nullo sint alligata externo iudicio. Quare stabile manet, id quod ab initio probatum voluimus, actus purè internos nec legib⁹, nec iudiciis subiacere humanis. Proinde internus hæreticus omni externa carens hæresi, nullo modo censendus est excommunicatus.

Ad hæc Campensis ait, non esse veram hæresim, nisi quæ docetur, promulgatur & defenditur. quasi verò peccata sint potius externa, quàm interna: cùm tamen constet actum exteriorem nihil addere bonitatis aut malitiæ interiori. Et dominus dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo: Ita & qui apprehenderit errorem, cui firmiter adhærere velit contra fidem, iam hæreticatus est in corde suo. Et dominus ait: De corde exeunt cogitationes malæ: ipsæ sunt quæ coinquinant hominem. Quare vera est hæresis, etiam si nondum eruperit in actum exteriorem. Quæ si non erumpat, ōmnino non subiacet pœnæ legis humanæ: si autem eruperit vsque ad externum actum, vel ad transuersum (quod dicitur) vnguem, iam incipit contineri legibus humanis.

Vnum occurrit, quo ea, quam tuemur, sententia infirmari videtur. Constat enim ex eodem fonte prodire, & in eandem defluere personam, potestatem ligandi & soluendi, præcipiendi & prohibendi. Vbicunque igitur ius præcipiendi habet ecclesia, eadem ex æquo censetur habere ius prohibendi, etiam cum pœnæ adiectione: aliâs lex mutila &

manca

manca foret. Atqui probabitur ecclesiam posse præcipere actus interiores: potest igitur prohibere, & prohibendo delinquentem mulctare. Ius autem præcipiendi patet ex cap. Dolentes referimus: de celebratione missarum. vbi vnà cum horarij pensi persolutione deuotio præcipitur: quæ actus internus est, non externus. Verba textus hæc sunt: Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ: vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit deus, studiose celebrent pariter & deuotè. Pari etiam præcipitur iure in confessione sacramentali dolor de peccatis: quo si quis omnino careat, peccat in canonem, Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. Neque enim satisfacit, qui verbo tantum confitetur, nisi animus adsit. Quòd si dixeris pœnam solum pertingere exteriorem actum, nec vltra progredi: illud falsum probatur. Ex eo enim sequeretur, quòd ecclesia præciperet peccatum, nisi simul cum confessione externa dolorem adesse iuberet. Nam verbum sine animo quid, nisi simulata confessio est, Quæ tantum abest, vt præcipiatur, vt prohibeatur potius. Quare dicendum est præceptum ecclesiæ se extendere ad actum interiorem, cuius omissionem pœna sequitur. Hoc enim est præcipere sub interminatione pœnę. Idem iuris habere censetur in sacramento matrimonij. Cogit enim fictè contrahentem sub censurarum interminatione consentire in verba coniugij cum ea, quæ bona fide communibus verbis de præsenti contraxit. Hic autem consensus in matrimonium actus internus est.

Extat canon, Ex literis. de spõsalib. & matrimoniis, vbi habetur: Cogatur vterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solet rectè intelligentibus generare. Et in cap. Ad id. eod. titu. vbi coguntur partes ad mutuò consentiendum. Vbi enim præsumitur pro matrimonio, cogitur quis consentire per cap. Tua nos. Qui ergo cogitur eam ducere, cum qua simulatè contraxit: cogitur aut cum ea fornicari, aut consentire. Priùs autem prohibetur, posterius ergo præcipitur, idque sub interminatione pœnæ. Item ecclesia ipsa soluit à peccatis interioribus, potest igitur ligare ad actus interiores. Quòd si præcipit actus interiores bonos, pœna etiam adiecta in delinquentem, cur non etiam prohibebit actus malos sub intermi-natione pœnæ? Nam ex hoc simul eliditur fundamentum huius assertionis, quo dicitur ideo pœnam non habere locum super actum interiorem, quòd actus interior non sit materia legis ecclesiasticæ. Nunc autem contrarium probatur, cùm preceptum ecclesiæ cadat in actum interiorem: sic fit, vt actus ille internus sit materia præcepti. Nec litem hanc resoluit, quin potius quæstionem auget, id quod ab initio huius theorematis profitebamur præceptum ecclesiæ procedere vsque ad actum internum, quatenus connexionem habet cum actu exteriori: idque hac ratione, quia dum præcipitur exterior, qui non bene fit sine interiori, sequens est sub præcepto cadere interiorem. Hoc inquam non euoluit, sed inuoluit quæstionem. Nam si iure præcipitur interior, iure igitur infertur pœna omittenti: eodemque iuris tenore

infertur

infertur pœna actum interiorem malum prohibitum committenti. Quod si verum est, quid vetat interiorem hæresim prohiberi ab ecclesia, & eiusdē subiacere pœnæ. Dicas forsan discrimen esse, dum huiusmodi error mentis tantum limitibus continetur, neque est alligatus alicui externo actui. Alij autem cōnexionem habent cum externis actibus, ideo cadunt sub præcepto vel prohibitione. Atqui parū referre videtur huiusmodi colligantia: quādo hoc habemus, quòd actus interioris omissio punitur pœna legis humanæ. Nam huiusmodi colligantia accidentaria est, quæ non alterat naturam actus interioris. Actus ergo interior si subest legi humanæ, cæteri eiusdem naturæ quare non suberunt? Opus est igitur, si quis huic satisfactum velit, citare ius aliquod aut diuinum aut ecclesiasticum secernens libertatē hāc vnius actus interioris ab altero. Quod & ipsum prę stabimus. Cùm enim dicitur: Homines vident, quæ foris patent, deus autem intuetur cor: cordis nomine separatim reseruatur diuino iudicio actus interior, cuius exterius nullum potest deprehendi sensibile indicium. Reliqua autem etiam interiora, quæ externis quibuscunque signis prodi possunt, homini relinquuntur seu à iudice vbi probatio adsit, aut saltem ipso iure plectenda.

Sed iam ex Scylla retrudimur in Syrtes: iterumque rotamur in hosdem. Quod sic ostenditur: Iubet ecclesia nostræ fidei professionem temporibus locisque statutis verbo ac voce præstari. Quæ si cū errore præstetur, simulata est. Hanc ergo non pręcipit ecclesia, quin prohibet potius: quare ex consequenti præcipit fidem interiorem ea, quam supra

posuimus,

posuimus, ratioẽ. Et hinc patet, quòd si accedat dissensus à fide, cuiusmodi est error & hæresis: ille subiacebit pœnæ ecclesiasticæ, cùm eadem sit omnino ratio. Quare illud necessitate tenendum, quòd saltem in casu in quo præcipit ecclesia actum exteriorem fidei, hæreticus etiam occultus incidit in canonem præcepti de confessione fidei. Cui præcepto si adiungatur excommunicatio aduersus delinquentem: illud quoque asserendum erit, quòd hæreticus eo casu incidit in canonem, dum scilicet fidem profiteri tenetur, & eam simulatè tantũ profitetur, cũ adsit mala mens & malus animus. Et hic erit casus, in quo hæreticus tantum mentalis incidit in canonem, vbi accidit quædam cõnexio actus interioris ad exteriorem.

Huic negocio suffragari videtur hæc analogia: quòd quemadmodum ecclesia prohibet actus futuros cum adiectione pœnæ in peccaturos: quoniam tamen actus futuri tunc temporis vti non extant, sic non sunt materia legis, futuri tamen aliquando: Ita etiam actus interior tametsi pro tunc minimè subiaceat legi, poterit tamen subesse, vbi accesserit externum aliquod indicium, Id quod planè concedẽdum est.

Verùm illud vrget magis exactè, quod adducitur de foro exteriori, seu foro pœnitentiæ: vbi nõ apparet ratio cur sacerdos, qui absoluit ab actu purè interiori, quòd etiam nõ possit obligare ad actũ purè interiorem, & negligẽti adiicere pœnam. Responsio est, quòd in illo foro operatur vt deus. Id quod indicat sigillum confessionis: quod ita arctat, vt merito dicere possit auditor cõfessionis ac per-

fecte

fecte iurare se nescire, quæ ex confessione audierit. Neque enim audiuit vt homo, sed vt deus. Pœna autē legis infertur ab homine vt homo est: quare hoc loco discrimē est, quo planè soluitur obiectio. Huc accedit, quòd iniungens pœnitentiam non ligat nisi recipere volentem: non ergo est illa vis obligandi in illo foro, quæ legi forensi externæ competit. Hæc de quinto theoremate.

Theorema sextum.

Quo modo propriarum quisque cogitationum cognitor possit esse, aut iudex.

TAntùm abest, vt quiuis hominū circa actus interiores ius dicere possit: vt neque etiam quisquā propriarū cogitationū aut cognitor esse queat, aut iudex. Quòd si nec cognitor, quomodo iudex? Nemo enim est bonus iudex eorū, quæ non nouit. Vt autem demus liberum esse cuique seipsum obligare ad actum interiorem, vtpote ex voto, aut iuramento: nunquam tamen fiet, vt quis possit iudiciaria authoritate sibi indicere pœnam pro actu interiori. Iudiciariam authoritatem appello, quæ etiam cadit in inuitum: quæq; obliget sola authoritate citra contractum, quomodo superior ligat inferiorem etiam nolentem. Neque id mirum, cùm iustitia sit ad alterum, & nemo sibi ius dicere possit. Ius enim est superioris ad inferiorem. At nemo sibiipsi aut superior, aut inferior esse potest: imò vna pars alteram elidit. Id autem vsqueadeo verum est, vt nec summus ipse pōtifex sibiipsi iurisdictionem inferre possit. Sequens inde est, quòd vt nemo seipsum baptizare potest (dictum est enim, baptizantes eos: vt alius sit qui baptizat, alius qui baptizatur)

zatur) ita nec papa ipse post electionē seipsum cōsecrare posset, aut ordinare in sacerdotem, aut vnctionem extremam sibi conferre, aut etiam à peccatis seipsum absoluere, atque adeo nec seipsum dispensare à voto aut iuramento. quæ omnia sunt iurisdictiōis. Horum omnium vna est causa. Nam sicut absolutio, ita & dispensatio pendet à verbo Christi: Quæcunque ligaueris. &, Quæcunque solueris. Quæ duę potestates iunctim se habent: vt vbi deest ligandi, ibi & soluendi potestas absit. Pontifex autem summus non potest se sacramentaliter obligare ad pœnitentiam, aut per iurisdictionē sibi iniungere inuito: ergo neque iuridicè se absoluere, vel ob id maximè, quòd derogaret suæ potestati, vt qui nulli subiiciatur homini. Hinc & illi necessitas incumbit, quòd se volens submittat alteri in his, quæ per se non potest. Adde quòd dispensatio est actus iusticiæ, quæ exigit auctoritatem in dispensante in eū, qui dispēsatur. Quæ duo in eundem cadere non possunt. Quod autem dixi de voto, illud fit extra iurisdictionem, seu soluendi & ligādi potestatē. Adde quòd potestas retinendi peccata non est ad seipsum, sed ad alterum. Quis enim sibi retineat peccatum inuitus? Papa autem dū absoluitur ab altero, non tam subiicitur homini quàm deo. Nam qui absoluit, non operatur vt homo, sed vt deus. Id verum esse indicat sigillum cōfessionis. Nam sacramenta ab altero recipiuntur, non à seipso, vt in ordine dicitur: Accipe potestatē. Et de vnctione extrema Iacobus ait: Infirmatur quis ex vobis? inuocet presbyteros. Vnctio igitur cōfertur ab altero. Idem quoque hoc loco: Accipite spiritum-

sanctum:

ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Non ergo idem eſt, qui remittit, & cuius remittitur peccatum. Petro quoque dictum eſt: Paſce oues meas. vt huiuſmodi auctoritas ſit ad alterum, non ad ſeipſum. Inde etiam ſequens eſt, nec papam ſibi conferre poſſe cuiuſuis titulũ beneficij: ſed nec ab inferiori collationem recipere. Nam ius conferendi iuriſdictionem ſecum adfert. Poteſt enim onus animarum paſcẽdarum committi etiam inuito. De baptiſmo iam diximus, quòd migret in alterum ex verbo Chriſti dicentis: Docete omnes gentes, baptizantes eas. Nemo igitur ſeipſum docẽdo baptizat, aut baptizãdo docet. Ea enim ſunt, quę migrãt in alterum, nec in ſeipſo quieſcere permittuntur.

Quòd ſi pontifex ipſe ſuorum actuum iudex eſſe non poſſit: quanto minus quiuis alius vel propriarum quidem cogitationum iudex erit, iudicio ad iuriſdictionem pertinente? Niſi fortè quis contendat poſſe vnumquemque à ſeipſo iudicari, non quidem iuridicè (vt probatum eſt) hoc eſt obligatione cadente in inuitum: poterit tamẽ declaratiuè ſeipſum iudicare. Iſtud autem etſi quadamtenus verum ſit, Paulo id aſſeuerante vniuſcuiuſque ſibi iudicẽ eſſe conſcientiã, qui ait: Gentes, quæ legem non habent, ipſæ ſibi ſunt lex, in Romanis ſecundo. Idem nihilominus deum facit iudicem, & conſcientiam teſtẽ: nec eam iudicis dignatur honore. Ait enim: Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & interſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiã defendẽtium in die, cùm iudicabit deus occulta hominum. Vide quòd deum iudicem occultorum facit: conſcientiam verò accuſatricem & teſtẽ. Quod

quadrat

quadrat cum eo, quod alio loco dicit: Sed neq; meipsum iudico: qui me iudicat, dominus est vt merito dicatur solus deus scrutator cordium & iudex. Nam & iudicis officium à se ablegat Paul', qui ait: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificat' sum. Vbi ergo legis apud Paulum, hæreticum hominem proprio ipsius iudicio condemnatum: iudicium pro accusatione testimoniôve accipe. Nec aliud vult diuus Paulus, Theophylacto interprete: quàm vt condemnatus dicatur, qui nihil habet, quo sua errata excuset. Conscientia enim ita plerunque modò huc pellitur, modo illuc repellitur fluctuans inter accusantes & excusantes hinc & inde cogitationes, vt non vacet illi fixum ferre iudicium: adeò nec actus ipsi interiores ab homine tuto iudicari possunt. Testis igitur personam sustinet conscientia potius, quàm iudicis. Agnoscit hoc Paulus, qui ait in Corinth. posteriore primo: Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. Nônunquam tamen illi iudicium adscribitur, sed discussionis & explorationis apud diuum Thomam in Pauli verba ita dicentis: Si nos ipsos iudicaremus, nō vtique iudicaremur. Quo fit, vt quemadmodum vnius testis assertio non prorsus iustificat, ita nec solius cōscientiæ testimonium. Et hoc voluit Paulus, cùm diceret: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nō iustificatus sum: in hoc inquam solo conscientiæ testimonio. Sed opus illi erat assertione sententiæ iudicis cuncta cernentis, qui solus nouit corda filiorum hominum: quo reuelāte Paulus persuasus de sua salute dicere in Romanis. 8. ausus est: Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque prin-

que principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hanc cœlitus infuso lumine hausit persuasionem diuus Paulus: vt diuo Thomæ super eo loco visum est. Neque id quidem mirum, vt qui à domino hoc encomio apud Ananiam commendatus est: Vas electionis erit mihi iste, vt portet nomẽ meum coram gentibus & regibus. Ideoq; tanta spe flagrabat, vt apud Timoth. posteriore primo summa fiducia erũperet in hæc verba: Scio cui credidi: & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illũ diem. Hæc itaque confidentia in Paulo ex diuinæ reuelationis instinctu magis, quàm solius conscientiæ testimonio pendebat. Cui dum solum innititur, ait: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Et ab eodem fonte procedit illud Iob ca. 9. Si iustificare me voluero, os meũ condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiã si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitę meæ. Propter quod dicere cogitur Psalmista: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine.

Si quis igitur fortè roget, in tanta certitudine proprię salutis, pręsentisq; fauoris diuini, quid attinebat dicere Paulum: Sed neque meipsum iudico. Qui enim me iudicat, dominus est? Hæc verba ambiguitatem quandam præ se ferre videntur. Respõdeo: Imò verò comprobãt ac muniunt nostram assertionem. Perinde enim est, ac si dixisset: Hæc mihi tuta salus & fiducia certa non à meo iudicio, sed

à dei

à dei potius reuelatione procedit: qui mihi hãc cer titudinẽ suo afflatu indidit. Qui scilicet in hoc me destinauit, vt essem futurũ vas electionis ad diuulgandum nomen suum coram gentibus & regibus. In pari causa erant apostoli, vtpote in veritate confirmati, dicente domino: Confirma eos in veritate: quia sermo tuus veritas est. Et rursum: In finem dilexit eos. Iterumque: Non perdidi ex eis quẽquàm, nisi filiũ perditionis. Sed huiusmodi certitudo deo potius iudice & indice quàm cõscientia teste procedit. Quare merito dixit Paulus: Qui super hoc iu dicat, dominus est, nõ ego. Qui & alio loco ait: Nõ qui se commendat, probatus est: sed quem deus ipse commendat.

Sed quid, inquies, dicendũ erit de nobis, qui huiusmodi reuelatione caremus? Ergóne perpetuo erimus ancipites, & in vtramque partem dubij ac vacillantes? An non erit de sua salute securus, qui Paulo paruerit dicenti: Probet seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè: iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Qui enim, quã potest, prẽstat operam, vt illuminetur: ille sibi securitatem poterit polliceri, Christo dicente: Omnis qui quærit, inuenit: qui petit, accipit: & pulsanti aperietur. Quærite igitur, & inuenietis. Hanc etiam securitatem præstat diuus Petrus in Actis, ita inquiens: In veritate comperi, quia non est personarũ acceptor deus. Hãc etiam adauget diuus Iacobus: Si quis, inquiens, indiget sapientia, postulet à deo: qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Et hinc originẽ

habuit,

habuit, qui in omnium theologorum ore versatur, canon: quòd iuxta virium mensuram operam adhibenti ad salutem captandã continuo diuinus fauor aderit. Quomodo igitur poterit non esse iustificat⁹, qui sibi conscius est nihil omisisse eorum, quæ præstanda videbantur ad assequendam salutem? Hæc igitur inter se pugnare videtur: Nihil mihi consci⁹ sum, nec in hoc tamen iustificatus sum: & istud, dominum nulli denegare salutem pro sua virili eam requirenti. Nam qui sibi nihil conscius est, ea præsertim conditione, quam Paulus habuit, vt erat suæ saluti semper inuigilans, satisfecisse videtur, vt iustificationem desyderatam acquirat. Quomodo ergo dicit Paulus, In hoc non iustificatus sum? Et de persona quidem Pauli iam responsum est, quòd reuelante domino conscius erat propriæ salutis.

De nobis autem restat enodanda quæstio, qui nostræ iustificationis conscij esse non possumus, nisi dum facimus quod in nobis est. In hoc ergo nos oportet iustificari, & de nobis ipsis iudicium ferre: cùm idem ipse dicat: Probet se homo, & sic de pane illo edat. Nodus iste ita dissoluitur: Si dixerimus fieri posse, vt quis credat sufficientem adhibuisse operam: cùm tamen res aliter habeat, ideoq́ue Psalmista ait: Ab occultis munda me domine. Plerunque enim mentitur iniquitas sibi. Certum est igitur, quòd qui se probauit, vt decebat: dignè accedere potest ad cœleste illud Eucharistiæ conuiuium. Verùm illud potest interuenire, vt quis nihil sibi sit conscius, non tamen exactè sit probatus. Non enim debitæ mensuræ omnes absoluit numeros. Hoc igitur superest, vt probatione facta

rem totam domino committat: data inquam opera, quam præstaret pro re sibi charissima aut perdita recuperanda, aut inuenta seruanda: hoc sciens continuò lucem affore, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum, vbi fenestram cordis quis aperuerit. Sunt nihilominus quidam inueterata consuetudine excæcati, qui etiam consilium aspernantur oblatum. Et hi quamuis sibi nihil conscij esse videantur: non tamē in hoc iustificati sunt, de quibus dominus ait: Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Sed in hoc forsan cuidā videbor deflexisse à recta. Nam de eo quæritur, qui diligentiam præstiterit, quam Paulus exhibere solebat: an, qui huiusmodi est, dicere possit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum? Si non in hoc iustificatus est, ergo speciali opus erit reuelatione. Tandem igitur eò deueniendum est, vt dicamus, quòd seclusa reuelatione, quæ Paulo presens aderat: apud nos, qui ea caremus, opera quacunque nostra assequi non possumus certitudinem aut euidentiæ, aut certæ fidei indubitatæ, quòd simus in gratia. Hoc enim est, quod dicit Paul⁹: Neq; meipsum iudico, videlicet ex mea quacunque diligentia, per quam fit, vt nihil mihi conscius sim. Nō tamen eò assurgere possum, vt sciam me esse iustificatum. Aliunde tamen sciebat Paulus sibi presentem fauorem numinis, nempe ex reuelatione. Ideo hoc addit: Qui me iudicat, dominus est quasi dicat, hoc tantum reuelatione obtineri potest. Vt alibi dominus ait: De die & hora nemo scit, nisi solus pater. Alio item loco: Nemo scit quis sit filius, nisi pater: &

ter:& quis ſit pater,niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Nobis autem nō ſuppetit aut ſcientiæ,aut fidei certitudo, ſed craſſa illa & probabilis coniectura moralis:cum qua tamē ſtat error: ſed qui imputatur minimè ad nouam culpam, vbi huiuſmodi cōiectura comite quis acceſſerit ad Euchariſtiam. Vrget ad id ſentiendum diuus Ioānes in ſua priore canonica cap.1.Si dixerimus,inquit,quia peccatum non habemus(non tantum ſuperbimus)imò etiam nos ipſos ſeducimus: & (non ſolùm humilitas) imò etiam veritas in nobis nō eſt. Nemo igitur tuto aſſerere poteſt ſe nō eſſe in peccato. Quod ſi aſſerit,iam eſt in peccato. Quod non de mortali tantum intelligi velim. Sufficit enim ſi de veniali verba intelligantur.Iuſtificatio autem accipi poteſt,vt omnem culpam excludat.Dico nihilominus, quòd huiuſmodi cōiectura moralis de opera præſtita ad ſalutem aſſequendam ſtare poteſt cum errore, etiā de mortali.Neque enim præſtat certitudinem præſentis gratiæ, aliâs in ea iuſtificaremur quod Paulus negat. Hoc tamen præſtat, quòd illa præſente non imputatur noua culpa. Supereſt, vt dicamus: Ab occultis meis munda me domine. Quæ occulta ſi mei non fuerint dominata: tunc immaculatus ero,& emundabor à delicto maximo. Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in cōſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus, &redemptor meus.Poſſunt igitur hęc occulta impedire gratiam.Hieronymus pro verbo, alienis,dicit à ſuperbiis,philautiam ſignificans:quæ eſt gloriæ igniculus,ex quo fumus exurgit menti cæcitatem & errorem inducens. Ideoque dicit Pſalmiſta,

 A ſuper-

A superbiis parce seruo tuo. Delicta enim quis intelligit? Hoc agnouit Gregorius, qui ait: Si penitus diffidimus, desperam⁹: si plus iusto cōfidimus, præsumimus. Melius est igitur, vt sciendo nesciamus, & nesciendo sciamus. Quare non habet hæc probabilis coniectura certitudinē. Hoc solū compertum habet, ꝙ nō imputabitur ad nouum peccatū, si cum ea quis accesserit ad Eucharistiæ sacramentum. Credendū enim est Paulo dicēti: Probet seipsum homo, ea scilicet qua solent homines probatione, & sic de pane illo edat. Certum est ergo quod nō imputetur ad peccatum nouū. at non ita certum, quod omni careat peccato. Accedit quidē non dignè: sed non sic indignè, vt iudiciū sibi mādūcet & bibat. Satis enim facit ad diiudicandū corpus domini. Vnde & Paul⁹ non dicit, Qui nō recipit dignè: sed, Qui recipit indignè, iudicium sibi māducat & bibit. Plus ergo est recipere indignè, q̄ non recipere dignè. Illud quidē Christo iniurium: istud verò nequaquam. Nam omnes huiusmodi conuiuio assidentes dicere solemus: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meū: cū tamen cōmittendū non sit, vt indigne accedam⁹.

Hæc in speciem vero & recto consentanea videri forsan poterant. Aliud tamen esse dicendū verborum Pauli consequentia ostendit, qui ait: Probet seipsum homo, hoc est probum se esse agnoscat. Quod nisi faciat, non diiudicat corpus domini. Quærenda est igitur certitudo probitatis, si tamen via communi humana haberi potest. Moralis enim coniectura non habet certitudinem, quæ ex dictis secum admittit errorem. Euidentia sola reuelatione habetur: quæ his tantùm competit, qui ex Paulo

habent arrham spiritussancti. Superest ergo certitudo fidei, hoc est assensus certus & ineuidens, vt vulgato more loquar. Sat enim bene, si sat clarè. At hic obtinetur per clauium potestatem, dum scilicet sacerdos euangelicus absoluit à peccatis. Claues enim ecclesię supplent defectum latentis negligentiæ confitentis, & alioqui iniustum iustificant. Certò tenemus omnes, quòd quæcunque ligauerit sacerdos euangelicus & soluerit, ea ligata sint & soluta: domino supplente defectum, si quis esset in sacerdote. Quare cùm nō desit cuiuis orthodoxo via ad huiusmodi certitudinem obtinendam: tenetur quisque, si copiam habeat sacerdotis, seipsum probare, probumq́ue ostendere per viam clauium & sacramentalis confessionis. Quod vtinā attendisset, aut certè in contrariam sentētiam non prorupisset dominus Caietan⁹ cardinalis: qui non vno loco negat necessariam esse cōfessionem ad dignam susceptionem Eucharistiæ, habita etiam copia sacerdotis. Cuius contrarium ostenditur ex prædictis, vsq; adeo semper periculosum est à communi patrum sententia leuiculo ratiunculæ flatu more arundinis agitatæ discedere. Dedit hæc contagio labem, & dabit in plures. Quare explodenda est à virorum catholicorum theatro. Scire enim debuit ecclesiā indixisse sacramentalem confessionem omnibus semel in anno ad id maximè, vt securo probitatis ac probationis iudicio tutius ad Eucharistiam percipiendam accederetur. Conuincitur istud ex intima ratione probabilitatis moralis, quæ conflatur ex opera & diligentia, ne quid omittatur eorum, quæ in ea re vsu venire solent. At vsu ecclesiæ receptissimo Eu-

ſimo Euchariſtiæ ſumptionem hæc duo præueniũt: Et interna diſcuſſio, Et ſecreta confeſſio, præſente eo qui abſoluere poſſit. Nã lata culpa eſt, quæ dolo comparatur; id omittere, quod nedum ſapiẽtes, imò & vulgus promiſcuum in eo negocio paſſim obſeruat. Hunc etiam errorẽ Ambroſius Catharinus annotauit. Cùm ergo requiratur diligentia ad probationem ſui ea, quę viribus humanis haberi poteſt, & obſeruari ſolet: quis non negligentiæ accuſet eum, qui præſentem confitendi occaſionem negligit, ſine qua vix haberi poſſit certitudo moralis de ſua iuſtificatione? Quam enĩ diſcuſſio priuata afferre nõ poteſt certitudinẽ, eam clauiũ eccleſiæ acceſſio nobis offert ad manũ. Negligi igitur ſine culpa nõ poteſt. Negligitur autẽ, ſi præſens omititur occaſio: quæ iuxta prouerbiũ, fronte capillata, à tergo verò calua eſt. Scriptum enim eſt: Maledictus qui facit opus dei negligenter. Requiritur ergo, certitudo quanta maxima per viam orthodoxis communem haberi poteſt: cuius non infima portio pendet à ſacramentali confeſſione.

Nec mihi obiiciat quiſquam apoſtolos ex vſu nõ obſeruaſſe hanc methodum. Nam in promptu reſponſio eſt. Illi enim habebãt arrham ſpiritus, qua certi erant de aſſiſtente ſibi gratia dei. Iam qui certus eſt, vltra certiorari non indiget. Deinde nec illis ad manum ſuppetebat, vti nec toto martyrum ſæculo, præſentis copia ſacerdotis: qui ſacerdotes nobis quotidie obuerſantur ob oculos. Quare euaneſcit obiectio. Nos enim de his loquimur, quibus abundè ſuppetit copia ſacerdotis: cuius negligentiam lata culpa comes ſequitur. Non enim diiudicat cor-

cat corpus domini: qui vt dignè accedat, non adhibet probationem: quam per alium melius assequi potest, quàm per seipsum. Claues certè ecclesiæ certitudinem, quam oportuit, adferunt de præsenti iustificatione, déque præsenti gratia. Quæ si absint, cum priuata discussione stat error. Tene igitur certum, & dimitte incertum. Militat & hoc aduersus Caietanum, quod alio loco dicitur: Nos hanc consuetudinem non habemus, sed neque ecclesia dei. Sequenda est igitur ecclesiæ lege etiam stabilita consuetudo.

Cùm ergo dicit Paulus: Nihil mihi cõscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, hoc verum habet de priuata hominis diligentia: qui tamen de sua iustificatione certior effici potest ex virtute clauium. Tunc enim accedens certitudo à deo est, non ab homine. Deus autẽ est, qui dixit: Quæcunq; ligaueritis, & quæcunq; solueritis, ligata erunt & soluta. Iã igitur dicere potest: Non sum ego, qui me iustificatũ iudico: sed qui iudicat, dominus est. Saluatur nihilominus veritas diui Ioannis in sua Canonica in hoc maximè, ꝙ cũ huiusmodi iustificatione stat veniale peccatum. Venialia enim sunt (vt Augustinus ait) sine quibus vita humana non agitur. Quare non prorsus erit insons & innocens, qui asserere præsumat se omni carere peccato etiã veniali, cùm interim certus esse possit de sua iustificatione saltẽ per aliquantum tempus, dũ scilicet ad Eucharistiã cum omni humilitate ac mentis ad deũ eleuatione accedit. Siquidem veniale non extrudit gratiã. Nonnihil ad hæc faciũt verba Anselmi Paulum ita exponẽtis: Nullius vtiq; peccati sibi cõscius erat. Sed

quia legerat: Delicta quis intelligit? sententiā tēperauit, ne fortè per ignorātiā deliquisset, & addidit: Sed non in hoc iustificatus sum. Vidēs enim quia ei ad perfectionē sanctitatis nec suū iudiciū sufficeret, ait non se in hoc iustificatū. Cur verò non sibimetipsi de ipso credidit, causam reddidit, cùm subiunxit: Qui autē iudicat me, domin⁹ est. Ac si apertè diceret: Nec meo me iudicio iustificatum existimo: quia ille iudicat me, cuius iudiciū non cōprehendo. Ab eo enim, qui me iudicat, examinari me subtiliter scio. Rectè quidē me egisse recolo, sed tamen de meritis non præsumo: quia ad eius examen vita nostra ducitur, sub quo & virtutes nostræ trepidāt. Nec vos nec ego me iudicatis: sed qui me iudicat, domin⁹ est, qui sine hæsitatione nouit omnia. Hæc ille. Ex his præterea quæ diximus, id quoq; elici potest prōptius esse consciētiæ testimoniū atq; expeditius in condēnando, q̄ in iustificando. Ea enī sola sufficit condēnare, si quis contra propriā agat conscientiam, ex Paulo in Romanis dicente: Omne quod non est ex fide, peccatū est. At iustificare minimè sufficit. Testis enim personam sustinet, non iudicis. Nec sufficit vnius testimonium. Ideo Paulus ait: Sed neque meipsum iudico. Nec mirum. Bonū quippe est, ex integra causa: malū verò, ex defectu.

Vt autem reliqua persequamur, quæ cum dictis affinitatem habent: cùm propria conscientia iustificationis suæ iudex esse nōn possit, sed semiplena tantum probatione testis: quomodo ergo poterim⁹ de aliena iudicare cōscientia? Quod si fieri nequit: (vt certe verum est, & omnibus cōpertum) quis nō agnoscat in hæreticis (ridendam dicam an deplorandam)

randam)temeritatem: qui neminem admittāt in ecclesia paſtorem,niſi qui iuſtificatus ſit,& in gratia? Quod ſi verum ſit, nec paſtor ipſe toto pene vitæ curriculo ſe paſtorem agnoſcet.Qua igitur fronte ſuis ouibus legem imponet, vt qui non poſſit ſine præſumptione ſe iuſtificatum agnoſcere,ſed neque eorum ſententia paſtorem. Vides, vt hæc temeritas ſeipſam elidat, & ſua mole ſe opprimat? Nemo enī ſciet vbi paſtor,vbi oues,ſi eccleſiam catholicā dixeris fundari in gratia. Et vbi erit verbum Chriſti: Si peccauerit in te frater tuus? ſi peccator frater eſſe deſinat,nempe extra eccleſiam catholicam.Item, vbi paſtor,vbi eccleſia,de qua dominus ait:Dic eccleſiæ? Cùm vix aliquid videas iuſtificatione aut propria aut aliena incertius. Diuus certè Paulus ſeipſum non iudicat ſuper iuſtificatione propria: & tamen nedum ſe paſtorem agnoſcit ac diſpenſatorem myſteriorum dei: imò etiam talis haberi & æſtimari vult ab his quoque, qui ſiniſtri aliquid de eo iudicabāt. Volebat ergo aliquem haberi pro paſtore, etiam vbi à gratia dei æſtimetur alienus. Et ex hoc vno abundè confutatur hæreticorum temeritas. Sed de hoc aliâs ſuo loco. Qui hac temeritate laborant, hoc ſolùm curant (quaſi tamen aliud agentes) vt manum ferulæ ſubducant, totius obedientiæ vires eneruent, imminentia ſuis ceruicibus merita flagella effugiant, ac toto æuo degant tanquàm filij Belial ſine iugo: iniuges inquam & exleges, refractariique Belialitæ. Denique vt filios onagri ſe liberos natos putant. Dicturi enim ſunt ad ſingula paſtorum mandata, ſe prorſus ignorare vbinā ſint veri paſtores, quibus parendum ſit. Qui potius

dicere

dicere debuerát, se ouium nomine indignos, qui obtemperare noluit. Imò sua voce se extrudunt ab ecclesia, quam in gratia fundari aiunt: quæ maximè ab illis abest. Nam quò illis diuinam gratiam, qui nihil aliud quàm rebellionem ac meras blasphemias tota vita sectantur? Ex ore igitur proprio se iudicát. Quibus illud competit: Voluit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & longè erit ab eo. Hæc de sexto theoremate dicta sint. Proximè se offert occasio de excommunicatione, spirituali mucrone, vtcunque differere.

De excõmunicatione spirituali mucrone, Theorema septimum.

CVm excõmunicatio canonum sententia mucronis episcopalis nomine censeatur: vt est in capitulo, Viduas. vndecima quęst. 3. de ea quoque differendum. Quæ quoniam passim sub anathematis nomine circunfertur, inuestigãda anathematis nomenclatura, & quo potissimũ significatu intelligatur. Est igitur anathema veluti sepositio ac sequestratio separatióve rei cuiuspiam in aliquem vsum singularem, cui est dedicata deditáque ac deuota: quæ deuoueri etiam ac secerni potest in vsum aliquem vtilem honestúmve, vtpote ad honorẽ dei; quomodo oblationes appellamus anathemata. Quæ si perpetuò deuoueãtur, dicuntur anathemata mortis: vt quæ sint vsque ad mortem vsui, cui deuouentur dedicata, ita vt permutari non possint. Leuitici vltimo, Omne quod domino consecratur siue homo fuerit, siue animal, siue ager, nõ veniet, nec redimi poterit. Hebraica sic: Omnis destructio, quam faciet destruere homo Iehouah ex homine,

mine, beſtia & agro. Hebraica dictio eſt Charan, aliâs cheren quæ ſignificat deſtruere, deuouere, & conſecrare. Et Charan idem quod conſecratio, anathema, occiſio. Accipitur autem non pro omni conſecratione hoc loco: ſed pro ea, quæ dicitur anathema deſtructionis vel mortis, dum res vel occiditur, vel vſq; ad mortem ſacro vſui deuouetur. Qua de re in axiomate de cœlibatu fuſius tractatum eſt.

Referam hoc loco ad verbum, quæ de anathematis vocabulo tradit Auguſti. ex lib. quæſt. Numeri, titu. 40. Sic enĩ ait: Et vouit Iſrael votũ dño, & dixit: Si mihi tradidreis populũ iſtũ ſubiectũ. i. ſi mihi tradẽdo ſubieceris, anathematizabo illũ & ciuitates ei⁹. Hic videndũ eſt, quomodo dicat anathema, quod vouetur: & tamẽ pro maledicto ponitur, ſicut & de iſto populo dicit. Vnde illud eſt: Si quis vobis euãgelizauerit, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Hinc vulgo dictum eſt, vt deuotatio dicatur. Nam deuotare ſe quemquam nemo ferè dicit, niſi maledicens. Et anathematizauit eum, & ciuitates eius: & vocatum eſt nomẽ loci illius, Anathema. Hinc ductum eſt, vt anathema deteſtabile aliquid & abominabile videatur. Vt enim nihil inde victor in vſus ſuos auferret, ſed totum in pœnam luendam vocaret. Hoc erat anathematizare, quod vulgo dicitur deuotare. Origo autem huius verbi eſt in Græca lingua ab his rebus, quæ votæ & perſolutæ, hoc eſt promiſſæ & redditæ ſurſum ponebantur in tẽplis: ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, hoc eſt ſurſum ponere vel figendo, vel ſuſpendendo. Hæc ille.

Rem autem inanimatam appellauimus anathema obliuiõis, vtpote reſeruatam ad tempus immemoriale,

moriale, Iudith vltimo, Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis,& conopæum, quod ipsa sustulerat de cubiculo ipsius, obtulit in anathema obliuionis. Cæterùm contingit rem aliquam deuoueri ac sequestrari in pœnam, aut vsum quemuis sinistrum, nempe vel incendio consummatur, vel morte pereat, sicut scriptũ est: Erit ciuitas Hiericho anathema,& omnia quæ in ea sunt, Iosue sexto. Vbi etiam iuxta Hebræũ sic legitur: Vos autẽ cauete ab anathemate, ne anathematizemini,& accipiatis de anathemate,& ponatis castra Israel in anathemate. Deuteronomij item septimo: Non inferes ex idolo quicquam in domum tuã, ne fias anathema. sicut illud est eiusdem decimotertio: Non adhærebit de anathemate quicquam in manu tua. Fuit itaq; Hiericho obnoxia gemino anathemati mortis, scilicet in hominibus & bestiis: & consecrationis in auro, argẽto, ære & ferro: quæ in thesauros domini reposita sunt. Quæ etiã dicuntur anathemata mortis, hoc est perpetuò, donec pereant, ab vsu hominũ semota, nec vnquã in publicum vsum reuersura. Quibus proximè accedit denotatio illa seu execratio excommunicationis, cùm quis ob contumaciam diris deuouetur ac Satanæ traditur: seu corporaliter torquendus, vt est apud Paulum in Corinthiis: Tradidi illum Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, seu spiritualiter saluetur vir ille. Qui vsus est in ecclesia frequens, dum quis per contumaciam extra fidelium communionem positus, liberiori Satanæ facultati relinquitur: vt recensetur, in canone, Omnis Christianus. 11. quæst. 3. ex sententia Augustini, qui ait: Extra ecclesiam diabolus est, sicut in

cut in ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo tradit, qui ab ecclesiastica cōmunione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excōmunicatos à se esse demonstrat.

Et in Meldēsi cōcilio, capitulo, Nemo episcoporum. sic habetur: Quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & his qui aliter nō poterunt corrigi. Quo fit, vt excommunicationem præcedere oporteat & mortale peccatū & cum peccato contumaciam, quâ quis obedire detrectat pastori iusta monenti: Hoc docet euangelicum decretum, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. vbi pręcessit peccatum ex verbo, Si peccauerit. Post peccatum monitio, post monitionem denunciatio, demūque rebellione sequente nouissima sequitur excommunicatio.

Qua in re oboritur dubium in forma decernendi canonis latæ sententiæ, qua scilicet ipso facto infligitur censura excōmunicationis, cùm tamē isthęc non præcesserint. Ad quod respondetur, eos pręsumi contumaces ex frequenti publicatione canonis: cuius lectio monitorij vicem habet. Nec præteriri potest tam solenne mandatum, tamque frequenter inculcatum, nisi cum contemptu & cōtumacia.

Quocirca decreuit ecclesia ingruentibus scelerum procellis, & sibi inuicem perpetuò succedentibus, vna sententia absterrere delinquentes. Nam in tanta scelerum colluuie singulos capitatim coercere omnem superaret modum, nec tanto oneri sufficeret vnius vigilantia pastoris. Ideo visum est in grauioribus, quę passim ingruunt, sceleribus vnicū

adhibere

adhibere excommunicationis pharmacum: sed ita promulgandum, identidéque auribus Christianorum inculcandũ: vt nemo se tueri possit ignorantia, aut ablegare à se possit manifestæ contumaciæ notam. Id quod maximè constat de canone lato aduersus hæreticos, quorum hæresis ipsissima contumacia est. Ideo quemadmodum secum adfert vitium hoc contumaciam, ita & sententia coercens secum habet annexam pręsentem censuram. Visumq́ue est ecclesię simili cauterio inurere eos, qui grauissimis criminibus rem publicam cõturbantibus ceruicosè & impudenter laborant, quos scilicet ferit etiam canone latæ sententiæ. Quòd si huius canonis notã requiris, qua scilicet decerni possit sententia lata, à sententia ferẽda: Istud sic habe, quòd quoties in sententia aut canone pronunciatur vel verbũ, de præsenti: vel adiectio particula, ipso facto: aut cùm dicitur, nunc pro tunc, sententiam excommunicationis incurrat. Et si quæ sunt notæ similes, haud dubiè speciem habet canonis latæ sententiæ. Simile est, cùm his verbis pronunciatur sententia, Excommunicamus & anathematizam⁹ hos vel illos. Quibus verbis respersum est diploma pontificis, quod in cœna domini pronunciatur. Huius farinæ istud est, quod recensetur. 12. quæst. 1. ex cõcilio Aurasicensi, cap. Canonica. vbi sic habetur: Ecclesiarũ dei violatores auctoritate dei & iudicio sancti spiritus à gremio sanctæ matris ecclesiæ, à consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & ecclesiæ dei satisfaciant. Verbum, eliminamus, præsentis est temporis. Et in cap. Si quis suadente. 17. quæst. 4. dicitur: Anathematis vinculo subiaceat, &

-ceat,& nullus episcoporum illum præsumat absoluere. Quæ verba indicant delinquentem ipso facto sentētiam canonis incurrisse. Nam tametsi verbum, subiaceat, aut anathema sit, non semper præsentem vinculi pœnam proferant: id tamen quod sequitur de absolutione omnino non admittenda, præsupponit præcessisse censuram, præsertim accedente omnium iuris interpretum declaratione & consensu. At vbi identidem repetitur sententia huiusmodi, anathema sit. 30. distin. videri poterat canon sententiæ ferendæ; perinde ac si dicatur, excommunicetur, nisi quod apud eos, qui ea dogmata, quæ illic prohibentur, peruicaciter adhærendo pronunciāt: imminet sententia excommunicationis ipso facto: cui omnem hæresim subiacere necesse est: alioqui huiusmodi verba, anathema sit, comminatoria sunt, nec sibi attiguā annectunt censuram anathematis. His enim verbis digni anathemate iudicantur.

Sed hic dubium incidit ex eo, quod scribitur ad Galatas primo: Si aut nos, aut angelus de cœlo euāgelizet vobis præter id quod euangelizauimus, anathema sit: quæ verba denunciatiuè seu imprecatiuè accipiunt nonnulli: in quibus est Oecumenius: Non enim (vt aiunt) designare possunt latam sententiā aut supra se, aut super angelos, parésve aut superiores suos: nisi quis dixerit, quòd à spiritu sancto eo loco diuus Paulus loquutus sit: cuius censura afficit omnes, atq; adeò si de lege posita fieri posset errare angelos. Crimen enim hæresis etiam ipsum pontificem summum vinculo excommunicationis adstringit, aut canone sententiæ iure diuino latæ. Quæ si nusquam admittitur in iure diuino,

necesse

necesse est vt dicas ipsum pontificem canone ecclesiæ inodari, dum hæresi laborat: vt constat ex capitulo, Achatius.

Hæc igitur verba, anathema sit, præsertim in materia hæresis inuoluere videntur canonem latæ sententię, non tam ex ipsorum tenore verborum quàm ex materia ipsa: quæ vt nunquam non habet sibi cõtumaciam adiunctam, ita nec caret præsenti censura. Quæ verba Dionysius Cartusiensis sic interpretatur: Anathema sit, id est excommunicatus & maledictus habeatur talis assertor. Anselmus, Anathema sit, id est condemnatus & ab ecclesia alienatus. Theophylact⁹ tamẽ hoc modo interpretatur: Execrationi subdat. vbi, inquit, nec parcitur Apostolis, sed nec sibiipsi: vt ostendat nullam dignitatis rationem habendam, vbi de dogmatibus ipsis & fide agatur. Quam, inquit ille, sententiam repetit, ne quis forsan existimet præ ira Paulũm hoc dixisse, verùm potius vt iudicet non temere aut incerto iudicio, sed vera animi sentẽtia hæc firmiter apud se decreuisse. Augustinus autẽ sic ait: Si veniat aliud euangelizans, anathematizetur. Dum igitur Paulus ait: Siue nos, hoc est Apostoli, ac ne Petro quidem excluso: aut angelus de cœlo aliud (subaudi contrarium, aut aliqua ex parte labefactans euangelium) euangelizauerit nempe dogmatizando, anathema sit. Quo apparet nec summum quidẽ pontificem, si ea in parte offenderet ab huiusmodi vinculo eximi posse. Quæ sententia arguit ipsum posse vinculo excõmunicationis inodari. Nec mirum. Sẽtentia enim huiusmodi non tam Pauli est, quàm spiritus sancti. Vnde & Chrysostomus sic ait: Per hoc

quòd

quòd euangelistas & angelos pronunciat, anathema, omnē dignitatem cōprehēdit, ergo & pōtificalem. Per hoc ꝙ seipsum pronunciat, anathema, omnem germanitatē cōplexus est. Cæterū vbi Chrysostom⁹ anathema pronūciatū dicit, inuoluere canonē videtur latæ sentētiæ. quod dicendū foret, nisi ꝙ diuus Augustinus propensior videtur esse ad sentētiam ferendā, cùm ait: Anathematizet. Diuus Thomas in horum verborum interpretatione etiā Apostolos inuoluit hui⁹ anathematis vinculo, nō solum subditos, imò aut pares aut superiores. Et vim canonis latæ sententiæ hæc verba habere dicit. cùm ait: Anathema sit, id est, reus huius sententiæ quam promulgamus. Hæc, inquit, sententia non propria auctoritate, sed auctoritate euangelicæ doctrinæ, cuius minister est Paulus, ab ipso prolata est. Sed in hoc minus sibi constare videtur, cùm postea dicat: Vtrum extunc ex verbis sententiam in hæreticos protulerit, dubium est. Forte, inquit, hic ostenduntur excommunicatione digni. Cui sentētiæ subscribere qui volet, eò tandem vrgebitur, vt dicat Petri successorem subiacere posse sententiæ excommunicationis ferendæ in casu præsertim hæresis. Et hinc sequens est, vt designet iudicem, qui in eū censuram hanc decernere possit. De hac re copiosius in axiomate de ecclesia. Proinde huius obscuritatis nubilum plenius excutiendum est: qua scilicet potissimum nota discerni queat canon latæ sententiæ à sententia ferenda. Plura quidem super hac re tradidit Abbas in cap. Si diligētí. de foro cōpetenti. Illud autem silentio præteriri nō debet, quòd mitius agatur cum lege, quàm cū homine. Sententia enim

canonis secum non aduehit præsentem censurā his tantùm prolata vocabulis, sub districtione anathematis, seu interminatione, aut aliàs sub anathemate: vt constat ex glossa in cap. Veniēs. de eo qui furtiuè ordinem suscepit. Hæc enim verba speciem potius gerunt ferendæ sententiæ quàm latæ: quæ tamē eadem à iudice prolata ex intentione præsentis censuræ protinus afficiunt nocentem, ac præsenti excō municatione innodāt. Excōmunicatio autē per canonem interminata sub cōditione: vbi interuenerit ipsa conditio, afficit indilatè eum qui peccat in legem, vbi primùm conditio accesserit. Constat istud ex cap. Præterea. de appellationibus. illud verò ex cap. Salonitanę. sexagesimatertia distin. Hæc autem verba, sub pœna anathematis, aliâs sub excōmunicatione, statim innodatum relinquunt offendentem ex cap. 1. de locato & conducto. astipulāte etiā capitulo. A nobis de sententia excommunicationis.

Obrepit tamen hac parte dignus animaduersione nodus. Mirū enim videri potest, q̄ ita summo (vt ne aliud dicā) iure exigatur ī vigesimū diē solutio: à qua si cessatū fuerit, protinus sequatur excōmunicatio his verbis, Nisi Sempronio infra viginti dies satisfeceris, scito te excōmunicatū. Quæ sententia nō ex æquo lata videtur, præsertim in omnē euentum nulla necessitate exclusa: quæ tamē ante lapsū terminū haud dubiè interuenire potest. Quid enim si labatur debitor in extremam inopiam? At huic responderi potest, appellatione, bonorúmve cessione suspēdi posse excommunicationis effectum. Sed quid si appellare minimè vacet? Cessio verò bonorum molestiam irroget, qua necesse sit cadere à statu ei

tu ei quem cedere bonis oporteat, & ex hac nota veluti quandam infamiam ciuilem incurrat: cuius timor in probum ac constantē virum cadēs, liberet huiusmodi creditorē à cōtumacia: qui huiusmodi laqueis implicitus meritò excusari possit. Non igitur æqua videtur esse sententia, quæ in diem statutum lata nullam recipit excusationē. Eademq; suspitione laborare videtur obligatio etiā debitoris cōsensu interueniente contracta: quam vulgò appellāt obligationem ad nisi. Quæ quidem releuari posse videtur necessitate, quam suprà explicuim⁹. nec releuat spontaneus consensus debitoris. Non enim potest impignerare animam suā, aut fructuū spiritualium iacturam. Vti enim nemo est dominus suorum bonorum in omnem euentum: minus certe dominus suffragiorum spiritualium, vt suo arbitratu huiusmodi suffragia aut ad se euocare, aut certe repellere possit. Diuisiones enim gratiarū sunt à domino deo distribuente singulis prout vult. Quocirca inuigilandum est, ne qui latenter obrepsit vsus pultem nimio sale reddat amaram. Huic etiam querelæ robur adfert Abbatis Siculi sentētia in cap. Prudētiam. de officio delegati. Censet ille neminem se obligare posse excommunicationis laqueo per viā pacti seu procurationis. Nam accedente tēpore requireretur causæ cognitio & cōtumacia. At hoc ipsum est quod interuenire potest apud eū, qui obligationi consenserit sub verbo, Nisi. Multa enī cadere possunt inter calicē supremaq; labra. Ideoque circūspectissimè leuem nimiū censurarum cursum remoratur Innocentius quartus in cap. Romana. §. Caueant. in sexto. de sentē. excōi. his verbis: Caueāt

etiam ne tales sententias excōmunicatiōis siue specialiter, siue generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint, vel etiā pro iam cōmissis sub hac forma: Si de illis infra tale tēpus minimè satisfecerint, proferre pręsumāt, nisi mora in exhibēda satisfactiōe vel culpa seu offensa præcesserit: quibus meritò ad iniungendā satisfactionē huiusmodi & taliter prohibenda similia inducātur, aut alia rationabilis (quā in ipsis sententiis exprimant) causa subsit. Hæc ille. Quocirca dicendū videtur, ꝙ interueniēte necessitate nō priuetur necessitatem passus ecclesiæ suffragiis, foris tamē priuādus veniat actibus legitimis quāuis sine culpa, non tamen sine causa: ne lex illa obligans prorsus irrita esse videatur. Hoc ipsum dico, quoties abest vera cōtumacia. nam præsumpta solùm priuat actib' legitimis, qui in prospectu hominum celebrari solent. Et huiusmodi pœna innititur præsumptioni, ne irrita censeatur ecclesiæ disciplina: quæ quādoque iustè innititur præsumptioni. Priuatio autem suffragiorum, quæ arbitrio tantū diuino subiacet, ipsam sequitur contumaciæ veritatem. Et hinc partim eliditur scrupus, quem Panormitanus inuexit in cap. Præterea. an videlicet sola prorogatio termini inter partes post sententiam à iudice latam, in certū diem liberet à cēsura creditorem nō soluentē in termino à iudice designato. Cōstat enim ex pręd ictis, quòd si abest contumacia, cessat fructuum iactura spiritualium. Quòd si vltra pergis de actibus legitimis inquirere, quid æquius quàm si dicamus sub domino liberali non oportere seruum esse exigendo rigidum? Cum ergo cesset ratio iniuriæ cōsentientibus

ſentientibus inter ſe partibus, quid aliud debet intendere iudex, quàm diſſolutionẽ cẽſuræ latæ. Solue (ait dominus) vincula impietatis, & onus omne dirumpe. Nihil igitur obeſt, quo minus quis, vt ſuæ prouideat inopiæ, impignerare poſſit iacturã ciuilium libertatũ (etiam ſi abſit culpa) vrgente tamen cauſa. Quæ impigneratio in bonis ſpiritualibus locum non haberet, nec etiam aliquid efficeret: niſi dum vera ſubiacet contumacia, & iudicis auctoritas ex euangelica lege prognata. Et per hæc dubium iſtud facilè excutitur.

Porrò vt ad viam redeamus, vſque adeo minimè recens exiſtimanda venit anathematis cenſura: cuius vſus cœlitus ad nos perueniſſe certa fide tenetur: vt priſca potius priſcarumque vetuſtiſſima rerum meritò dicenda ſit: vt quæ à primæua orbis origine ortum habuerit. Necdum enim creato homine propria philautia excæcatus Lucifer cum angelis ſuis extra cõmunionem paradiſi poſitus, anathemate percuſſus eſt ab ipſo ſtatim orbis initio. Nec ſolùm initiũ dedit anathemati, imò ſentina quædã efficitur, in quam retrudũtur quotquot ſunt anathematizati. Tradũtur enim Satanę, ac diris deuouentur excommunicationis vinculo percuſſi. Huic autem proximum ſequutum eſt anathema verſatili gladio deſignatum: cùm ſcilicet Protoplaſtus parens extra delitiarũ ac ſuauis auræ victuſq; amœnioris trãquillitatem eiectus eſt, adiecta etiam maledictionis nota. Parricida deinde Cain extra omnem ciuilitatem atque hominum cõmunionem poſitus eſt, metuendo poſteritati exemplo maledictus toto cœlo errans, & ſuper vniuerſam faciem terræ

profugus certiſſimè maledictionis & anathematis argumento. Veram anathematis imaginem præfert quod eo ipſo Cain referēte Geneſis quarto recēſetur, quod eodē capite quarto dicitur: Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua. vt ſcilicet intelligas Cain fuiſſe exploſum à ciuili hominū communione & à ſpeciali ſuffragio ſubſidioque diuino cæteris fidem vnius dei habentibus communi. Erat enim cuique legi peculiaris ſpiritualium bonorum inter fideles communio atque participatio. Nam eccleſia ædificatur vt ciuitas, cuius participatio in idipſum, ſeu inſimul. Qua cōmunione ſeſe priuatum agnouit Cain, qui ait: Eiicis me hodie à facie tua. Et hæc quidem homicidij pœna iudicialis erat, non pertinens ad legem naturæ. Neque enim carebat illa ætas quibuſdam poſitiuis iudicialibuſque legibus: quas omnes Chriſtus ſuo aduentu antiquauit. Neque etiam in omnes parricidas huiuſmodi pœna promulgata fuiſſe legitur. Fuit igitur perſonalis cenſura, & priuata quædam excommunicatio. Præceſſit itaque legem Moyſi omnibus metuenda excommunicationis cenſura: quæ demum accedēte vſu & frequentia creſcere cœpit: quam toties experti ſunt Hebræi, quoties extra caſtra degere lege iubebantur, vtpote extra legitimæ eccleſiæ cōmunionem poſiti. Hanc excōmunicationē paſſa eſt Maria ſoror Moyſi, cùm lepræ maculis aſpergeretur: vt eſt in cap. Viduas. 27. quęſt. 1. Quid niſi anathematis ſpeciem habet toties repetita maledictio Deuteronomij. 27. Maledictus qui fecerit ſculptile. qui maledixerit patri & matri. qui trāsfert terminū proximi ſui, &c. quæ magno numero ſequūtur anathemata

themata. Sunt enim duodecim maledicto obnoxiæ transgressiones illic enumeratæ, quæ aduersus palam delinquētes morte etiā fere omnes puniebātur: vt meritò etiam dicerētur anathemata mortis. quin & ipso facto afficiebant propriā delinquētis cōscientiam, si occultè perpetrarētur. Quod vel ex eo cōstat, vbi maledicitur, qui facit sculptile, & ponit in abscōdito. Ibi enim cessat sententia iudicis, at non dormitat interior execratio anathematis: quam sibi etiā populus imprecabatur, dicēs: Amē. Et dū dicitur, Maledictus, qui nō honorat patrem: de eo etiam intelligitur, qui clam procurat iniuriam iuxta Hebraicam phrasim, quæ habet. Faciens vilipendere patrem suū & matrem. De transferente terminum proximi constat id fieri solere in occulto potius, q̄ in aperto. vnde & aliud anathema habet: Maledictus qui clam percutit proximum suū. De eo autem qui errare facit cæcū in via, metaphora est. subauditur enim crimē mali ac perniciosi cōsilij: ꝙ malè consulto malum quidē esse solet, sed consultori pessimum. Hi igitur palā cogniti delinquentes, morte fermè puniebātur: latētes verò anathematis pœnā non euadebāt. Vbi autē legitur: Maledictus qui nō permanet in sermonibus legis, & qui nō firmat verba legis. ęquū est intelligere de eo, qui per cōtumaciā legis auctoritatē eleuare cōtendit. Hic igitur erat canon latę sentētiæ, ꝙ afficiebat delinquentē etiam citra omnē iudicis operā. Ergóne (inquies) in hunc vsq; diē perseuerant huiusmodi fulmina execrationū? Nequaq̄. Ablata enim sunt à Christo, qui factus est pro nobis maledictū, quique maledictiōis chirographū cruci affixit. Quædam tamen morte

puniũtur,quaten⁹ reipublicę vtilis visa est lex vetus iudicialis, cęteris extinctis quoad pœnæ obligationẽ. Huiusmodi execratorios canones promulgauit Iosue ca.8.Execratorio etiã decreto vsus est Esdr.1. Esdræ. 10. adiecta excommunicationis incurrendæ pœna. Ita enim legitur: Omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum & seniorum,auferetur vniuersa substãtia eius, & ipse abiicietur de cœtu transmigrationis.Vbi excommunicationi ecclesiasticæ alia pœna præmittitur,publicationis scilicet bonorum. Et id genus pœnæ apud Hebræos perseuerasse docent verba Ioannis cap. nono: Condixerunt ab illa hora,vt qui confiteretur Christum,extra Synagogam fieret.Quam excõmunicationis pœnam agnoscunt ex Lutherana factione nõnulli:vt saltem ex ore suo iudicentur,vt primi Esdræ.10.Pellicanus recenset.Non igitur est excõmunicatio recens inuentum.Quod autem scribitur Deuteronomij.23. Non ingredietur manser in ecclesiam domini:Mãser autẽ intelligitur ex adultera natus Hebræorum sententia. Nam filij Iudæ ex incestuoso concubitu nati exclusi minimè fuerunt. Illegitimatio seu irregularitas quædam potius dicenda est,quàm excommunicatio. Non enim expellitur manser à communi oratione ac rerũ cõmunicatione spiritualiũ: tantùm arcetur à functionibus sacris dignitatibusq́; ac prælaturis. Pari lege coercetur Ammonites,& Moabites: qui quidem arceantur nõ tam à sacrorũ participatione, quàm à susceptiõe dignitatum regiminisve. Hoc enim est intrare in ecclesiam domini, eo gaudere priuilegio,vt ad officium aliquod prælaturæ quis assumi possit.

Nec deerat

Nec deerat priscæ ætati Mosaicæ scilicet legis cultoribus eius censuræ vsus, quam hodie suspẽsionem appellamus: quam non obscurè tradit Esdras prioris sui voluminis secundo capite de quibusdã filiis sacerdotum: qui cum summa diligẽtia requisiuissent scripturã genealogiæ suæ, nec inuenissent, à sacerdotij functione honoribusque explosi sunt, dicente ad eos Hathirsata: Non comedetis de sancto sanctorum, donec surgat sacerdos doct⁹ & perfectus. Veteris autem organi irregularitates & earum copiam quis enumeret? Per hæc notissimũ est ecclesiasticæ vsum censuræ non humano inuento, sed diuino potius instituto ad legis euangelicæ cultores fuisse transfusum, vtpote promulgatũ à Christo, & à Paulo non semel traditum ac receptum. Notior enim est quàm vt citari debeat locus de anathemate ferendo euangelicus Matthęi. 18. Si ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. vbi nomine Ethnici Gẽtilis intelligitur. Est autem Gentilis locutione apud Romanos veteres nõ insueta quicunque Romano minimè suberat imperio, vt qui non tam lege ciuili quàm iure Gentium regeretur. Atque inde sequutum est, vt Gentiles catholicorum vsu appellem⁹, qui Christianę legi non parent. Cui sententiæ vim præbet diui Pauli auctoritas dicentis: Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Nec dissimili prorsus consuetudine paganos dicimus, qui sub signis Christi non militant, allusione quadã, eo quòd pagani dicantur, qui pagos & vicos incolunt, & ab exercitio militari prorsus abhorrent. Verùm altius repetenda est huius appellationis origo, nempe ab He-

ab Hebræis, qui ante rempublicam Romanam atq; etiam Græcorum monarchiam, quos Ethnicos Græci, Romani verò Gẽtiles, hoc est suarum legum expertes, denique omnes qui eis sunt barbari, Goim vocant. Goi enim Hebraicè gentẽ nationémve præsertim exteram significat, Goim verò pluratiuè gẽtes. Psalmo. 104. Transierunt de gente in gentem. Esaiæ. 5. Eleuabit signum in nationibus. Nec procul hinc apud Ioannem legitur: Nũquid in dispersionem gentium iturus es, & docturus gentes? Hinc defluxit vulgi ore tritum verbũ, Baragoim: id est, filius Ethnici. Iure igitur censentur priuati vsu & fructu suffragiorum ecclesiæ excommunicati: quãdo Christi decreto conditionem infelicem subeũt Ethnicorum: in his præsertim, quæ ad cõmune bonorum etiam spiritualinm consortium pertinent. Quæ enim est portio fidelis cum infideli? aut quæ societas lucis ad tenebras? Priuantur itaque communibus ecclesiæ commodis interueniente præsertim auctoritate & virtute Christi domini, vti suo nobis exemplo diuus Paulus tradidit: qui cum decreuisset fornicatorem, thorísq; paterni violatorem execratione ferire, priore ad Corinth. 5. sic ait: Ego quidẽ absens corpore, præsens autem spiritu, cum virtute domini nostri Iesu Christi iudicaui tanquã præsens tradi eum Satanæ. Nihil ergo mirũ, si vim suam exerceat in spiritum bonisq; priuet spiritualibus, huiusmodi gladius excommunicationis vibratus. Id enim fit virtute & auctoritate sponsi ecclesiæ Christi. Ex his quoque verbis colligi potest, sententiam excommunicationis tametsi ab vno iudice prolatam, emanare tamen à totius ecclesiæ auctoritate.

ctoritate. Nam ſententiæ ſecundum canones latæ aſſiſtit eccleſia tãquam præſens, ſi non corpore, ſaltem ſpiritu. Sic enim Heliſæus præſens erat, cum Gihezi acciperet munera à Naaman Syro non corporea ſed ſpirituali præſentia. Vt autem obiter dicam, erat apud Ethnicos Romanos ritus quidã, qui ſpeciem aliquam præferebat excommunicationis, cum ſcilicet cuipiam interdicebatur tecto aqua & igni. Et hi dicebantur deditij pœnæ. Carebãt enim iure Romanæ togæ, quibus aqua & igni interdicebatur: vt eſt in lege, Peculatus, ad legem Iuliam peculatus. ff. Peculatus pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie ſucceſſit deportatio, continet. Metellus Numidicus prius habuit aqua & igni tectoq́; interdictionem ferre, quàm in legis Apuleię verba iurare, qua ſcilicet cauebatur, ne cui præter populi decretum in regione eſſe liceret: ſicq́; huiuſmodi interdictum hominem conſtituebat nedũ extra ciuile commercium, imò & extra humanum in rebus neceſſariis conuictum.

Iam aliud ſe offert diſcutiendum, an toto ſcripturæ decurſu deprehendatur locus vim habens canonis latæ ſententiæ? Cui ſcopo propius accedere videtur anathema illud mortis, aut (vt verius dicã) mortalitatis. Geneſis. 2. Quacunque hora comederitis, morte moriemini. Quæ lex eſt ſententiæ ante peccatũ latæ futuræ mortalitatis ipſo facto incurrendæ: quam moriendi procliuitatẽ expreſſit Chaldaica æditio, Moribũdi moriemini. De anathemate autem mortis ipſo facto incurrendæ non deſunt exempla. De Oza, qui tetigit arcam contra legem. De arca ſacriſque non attingendis ſub pœna mortis con-

tis continuo incurrendæ seu (vt dicitur) ipso facto. Parem sententiam anathematis Iosue cap.6.pronũciauit. Maledictus vir coram domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatẽ Hiericho. In primogenito suo fundabit eam, & in nouissimo liberorũ statuet portas eius. Quæ sententia ante peccatum lata mox ab opere patrato sortita est effectum, tertij Reg.cap.16.Iosue item.7. Achan filius Charmi canonem latæ sententiæ incurrit, cùm dicitur: Non ero vltra vobiscũ, nisi disperdatis anathema è medio vestri. Et rursum: Anathema est in medio tui Israel. Non poteris stare coram hostibus tuis, donec remoueatis anathema è medio vestri.

Sed liquidiora sunt & propinquiora scopo, quæ ex euãgelicis fontibus sese offerunt testimonia. Primumq; occurrit inuestigandum id quod habetur priore ad Corinth.5. Nunc autem scripsi vobis, Si quis frater nominatur aut fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Cæterũ cum textus iste variè legatur, varietas hæc auget quæstionem. Legunt enim aliqui, Si is qui frater nominatur inter vos est fornicator &c. hoc est, Si is qui appellatur Christianus, vno aliquo ex enumeratis laborat criminibus: dico cum illo non esse cibum sumendum. Hæc lectio præterquam quod ex Græca lectione non necessario elicitur, habet etiã vnde merito refutari possit. Nam si spectaret ad canonem latæ sententiæ: huic fateri oporteret, quòd omnis qui vocatur Christianus, & reipsa esset fornicator, aut auarus &c. incurreret huiusmodi sententiam excommunicationis. Et sic omnis ebriosus

esset

esset excommunicatus canone latæ sentẽtiæ. Quod planè falsum est: imò contrarium habetur in cap. Audi.11.quæst.3.ex sententia Hieronymi,aut vt alij volunt Origenis,videlicet tũc hominẽ dici excommunicatum, cum delictum eius manifestum sit ecclesiæ:& de ecclesia per sacerdotem pellitur, vt notatus ab hominibus erubescat. Ideo concludit Gratianus hoc modo: Cùm ergo per sententiã quis nominatus fuerit,ei communicare non debemus. Cùm autem solo reatu occultæ excommunicationis cõtraxerit pœnam, non est ab eius communione cessandum. Vnde dominus in euãgelio tum demũ peccatorem dicit habendum sicut Ethnicum & publicanum,cùm ecclesiam audire contempserit. Quo factum videri potest, vt nullam suo canone ex patrato scelere voluerit inferre cẽsuram, cùm eam ferẽdam suæ spõsæ reliquerit. Dic,inquit,ecclesiæ:quã si non audierit,sit tibi sicut Ethnicus & Publican⁹. Apostolus quoque non ait, Si quis frater est fornicator:sed,Si quis frater nominatur fornicator,sententiæ nominationem intelligẽs. Quibus verbis manifestè repudiatur hæc lectio. Non ergo intelligimus de fratre nominato seu vocato Christiano,sed de Christiano fornicatore, aut auaro, declarato. Beatus Augustinus tametsi legere videatur de nominato fratre: in hanc nihilominus sententiam descendit neminem à communione prohiberi posse, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio nominatum atque conuictum. His, inquit,verbis satis ostendit Paulus nõ temere & quomodolibet, sed per iudiciũ auferendos esse malos ab ecclesiæ cõmunione. Et paulo ante libro de pœnitentia dicit:

Nos

Nos vero à communione quemquam prohibere nõ possum⁹, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue ecclesiastico, siue seculari iudicio conuictum atque nominatum.

Alia etiam via eliditur hæc lectio. Nam si de omni fratre nominato intelligatur, & fieri possit vt quis nominetur frater, qui verè sit infidelis: planè sequeretur, quòd infideles qui foris sunt, excommunicarentur: quin manifestè refragatur textus continuo sequens: Quid enĩ mihi de his, quę foris sunt, iudicare? Non ergo de fratre nominato, sed de vero fratre intelligitur textus. Nec obstat quòd verè sit frater & idolis seruiens. Erit enim frater charactêre baptismali & communis legis consortio, tametsi non sit verè frater charitate. Agitur ergo de fratre Christiano, qui infamatur de fornicatione, auaritia, aut vno ex reliquis, quòd vitandus sit: sed hoc post sententiam, vt prædicti textus manifestè ostendunt. Absit enim quòd omnis ebriosus sit ipso facto excommunicatus: præsertim cum hoc vocabulum (ebriosus) non dicat actum, sed frequẽtiam. Et sic dubium foret quotus actus induceret excommunicationem latæ sententiæ. Item auarus quis esse potest etiam ipso solo actu interiori diu⁹ Chrysostomus in cap. Ad mensam. xi. quæst. iij. in hanc partẽ deflectere videt, videlicet de fratre nominato. Verùm vt tandem colligit Gratianus, ea lectio recidit in hoc, quòd eorum communionem vitare non cogimur, qui sententia notati non sunt. Ex hoc igitur textu apparet non haberi canonem latæ sententiæ. Nam & de notorio incestuoso beatus Paulus censuit expresso iudicio & sententia ecclesię ipsum esse tra-

ſe tradendum ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Nō ergo erat innodatus canone latæ ſententiæ, cùm tamen deterior eſſet fornicatore. Sed neque Græca lectio, (tametſi in vtranque partē flexibilis ſit, & in vtramuis facilè pendula) neminem tamen ab ea quam ſequimur ſententia diuertere cogit: vt planè in hunc textum docent Græcæ lectionis interpretes. Ex Græca ſcilicet phraſi ita legitur ad verbū: Si quiſpiam frater nominatus, aut qui nominatur ſeu fornicator, ſeu auarus &c. vbi particula illa (qui nominatur) non refertur ad fratrem, ſed ad verba ſequentia hoc ſcilicet intellectu: Si quis eſt Chriſtianus, qui aut publicè aut notoriè cenſetur fornicator, auarus, aut rapax: iudico cum illo nec cibum eſſe ſumendum. Quòd tum demum fiet, ſi poſtquam eccleſiæ denunciatus fuerit, ipſius contempſerit imperium: tunc autem nominatur fornicator, cum declaratur talis: vt habet ſententia capituli, Ad menſam. xi. quæſt. iij. vbi dicitur, quòd eorum communionem vitare non cogimur, qui ſententia notati non ſunt.

Hìc autem ſe ſcrupus offert non omninò contēnendus ex verbis diui Pauli in Corinthiis ita dicētis: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu, cū virtute domini Ieſu tradere huiuſmodi hominem ſatanæ. Quæ verba hoc ambiguum præ ſe ferunt: an ex ſola Pauli ſententia (cùm necdum eſſent congregati Corinthij) cenſura fuerit innodat⁹, qui reus criminis agebatur? Qui nodus ita diſſoluitur, quòd tametſi dicat Paulus ſe iudicaſſe,

iudicasse, ita vt dilata tantum videatur executio: pressius tamen rem consideranti apparebit nondũ latam fuisse sententiam, sed dilatam in tempus congregationis futuræ Corinthiorũ vnà cũ suo spiritu, Corinthiis scilicet in dei virtute cõgregatis: tũc enim primùm suo robore constãs emersit. nec antea præcessit executio, qua reus corpore vexaretur & mente. Sunt tamen qui credant vexationi corporis non protinus fuisse adiunctam alienationem mẽtis, vt scilicet fuerit arreptitiꝰ, cùm hic de carnis tantũ afflictione legatur. Atqui interitus carnis non pro morte, sed pro cruciatu tantum accipitur. Cùm diris deuotꝰ nocens resipuisse legatur, an igitur præter carnis cruciatum arreptitiam quandam mentis alienationem perpessus sit lucidis quibusdã interuallis interuenientibus, an secus? Illud in medio relinquo.

Alia præterea excommunicationis forma ferẽdæ potius quàm latæ geminato quidẽ loco ex Paulo colligi potest. Nam priore ad Corinthios vltimo sic ait Paulus: Si quis nõ amat dominum nostrũ Iesum Christũ, sit anathema, maranatha. Quæ verba notant sententiam ferẽdam potius quàm latam, vti ex multorum canonũ progressu colligitur. Cũ enim passim legitur, Anathema sit: perinde est ac si dicas, excommunicetur, vel excommunicatione dignus habeatur. Prima quæstione septima, Si quis omnem traditionem ecclesiasticam scriptam aut nõ scriptam violet, anathema sit: hoc est, anathemate dignus censeatur, quin & ipsa verba hoc indicant. Nam diuus Hieronymus iuxta quorundam sententiam interpretatur maranatha, quasi dicas, in aduẽtu do-

tu domini nostri Iesu Christi. Intelligit ergo huiusmodi separationem anathematis tũ demũ executioni demandandam, cùm dominus in iudicium venerit. Non sum tamen nescius aliam quoque interpretationem sortiri maranatha, nempe dominus noster venit Syriaca phrasi, vt sentit æditio Complutensis. Cuius adaptationem ex Theophylacto quiuis haurire poterit. Illud tamen scias velim alteratam à Græcis dictionem maranatha pro eo, quod Hebræis Hebraicè diceretur hacharametha: quæ dictio significat occidere facies, & hechæramethi occidere feci. Vide Sanctem Pagninum in dictione charam. Est igitur anathema charametha. i. faciẽs occidere: quæ dictio paululũ distat ab ea quã diximus, maranatha. Nã ex vna in aliam facilis est transitus. Qua de re habetur Leuitici. 27. nempe de anathemate mortis irredimibili. quasi ita dicat Paul⁹: Sit homo huiusmodi anathema, sed tale anathema, quale est illud quod Hebræi vocant charametha, deuotatio mortis. Ex quo colligi potest hominẽ huiusmodi hæreticũ, & Christi osorẽ, seu blasphemũ, esse dignũ morte, & id quidem iure diuino. Nã eadem dictione vsus est Iosue, cũ ait: Erit ciuitas Hiericho anathema, cherẽ, siue destructio. Similẽ quoque rationem subire necesse est id quod habetur ex Paulo ad Galatas primo: Si nos, vel etiã angel⁹ dei, aliud euangelizauerit prǽter id quod euangelizatũ est, anathema sit. Constat autẽ angelos nõ esse capaces excõmunicationis, de qua ad præsens loquimur, ecclesiasticæ. Quòd autẽ diuus Paulus sibiipsi legem dicat, nihil mirum, cum ex ore dei loquatur. quandoquidẽ lex ista comminatoria cæteros etiam

o aposto-

apostolos cōprehendebat authore Theophylacto, ergo & ipsum Petrum. Nec mirum, quia sententia est à spiritusancto lata: sic tamen, vt dicas sententiæ ferendæ non latæ præferre effigiem. Verba autem huiusmodi ex vsu doctorum non aliud prę se ferūt. Idēque exprimit diuus August. psal.103. Si veniat (inquit) angel⁹ aliud euāgelizās, anathematizetur.

Citandus igitur nobis loc⁹ alius, qui omnib⁹ his pressius vrgeat: & cū quidē ex canonica Ioannis secunda hauriamus: quo loco sic habetur: Si quis aliā doctrinā adfert, illi neq; Aue dixeritis: quia qui dicit ei, Aue; cōmunicat operib⁹ eius malignis. Quod diuus ipse Ioānes exēplo mōstrauit aduersus Cherintum: à quo in balneis sibi obuiam facto, statim auersatus est eum, nec suo dignat⁹ alloquio. Fugiamus (inquit) ex his ædibus, in quibus est Cherint⁹, ne ocyus corruant.

Simili exēplo vsus Polycarp⁹ aduersus Marcionē percontantē an eum agnosceret: respōdit, agnosco primogenitū diaboli. Cum igitur nemini deneganda sit cōmunicatio nisi excōmunicato: & cuius hæreticā doctrinā proferenti authore diuo Ioanne neganda sit communio: est igitur homo huiusmodi excōmunicatus. Et hinc sumpta videtur doctorum sententia ex cap. Achatius. 24. quæst. 1. q; quisquis asserit hæresim iam dānatam, statim subiacet censuræ excommunicationis quisquis ille tandē fuerit etiāsi summus pontifex. Non enim tam à Ioanne q̄ à spiritusancto proficiscit̄ huiusmodi sentētia. Quos ergo Paulus dixerat anathematizandos, Ioānes cēset eo ipso vitandos tanquam excommunicatos.

Sed cur (inquies) tam variè, an idē spiritussanct⁹

de re

de re eadē varias protulerit sentētias vnā ferendæ excommunicationis, aliā verò latæ? Vtiq; nihil mirū videri debet, si canon latæ sententiæ ex eodē authore sequatur canonē sententiæ ferendæ: sicut & legalia de mortuis tandē facta mortifera. Nouis enim & his quidē augescentibus morbis, noua adhibenda sunt remedia. Atqui diuus Ioannes reliquos omnes grandæuitate superauit. Et hinc Cardinalis de turre cremata in cap. Excōmunicatos.xi.quæst. iij. censet papā in causa hæresis posse incidere in canonē latæ sententiæ. Quod quidē si cui non luculēter apparet colligi posse ex hoc loco, illi satis esse debet determinatio ecclesiæ, quæ in declaratione scripturæ ab omnibus audiri debet. Interim quoq; aduertendū est, ꝙ diuus Ioannes eo loco non tā hæreticos percellit, q̄ seductores proferentes erronea dogmata. Ex quo confirmatur id quod alio loco dictum est, ꝙ non solum in casu hæresis, sed etiam in casu seditionis, quæ accidere potest non hæretico, hoc canone incurritur sententia excommunicationis: à qua nec pontifex ipse liberaretur, si huius criminis esset conscius. Quòd autē auctoritas ecclesię in huiusmodi legibus plurimū possit, vel hinc patet, ꝙ cum diuus Ioannes contractè loquatur de hæresi, quæ militat contra Christi humanitatē cum diuinitate vnitā: nihilominus ecclesia dilatat huiusmodi censuras latæ sententiæ ad omnē hęresim dānatā, vt colligunt doctores ex cap. Achatius. Nā sicut potest adstringere pontificē ad fidem articuli recēter declarati: ita & potest eū percellere cēsura ab huiusmodi fide deuiantem. Porrò nihil obstat ꝙ diuus Paulus ita Titū instituit cap. iij. vt dicat hæ-

o ij reticum

reticũ hominem poſt primã aut ſecundã monitionẽ deuitandũ. Ex quo apparet non ſtatim hęreticũ eſſe excommunicatũ, & ipſo (quod dicitur) facto excõmunicationis incurriſſe cenſurã. Hoc inquã nihil obſtat, tum quia (vt dictũ eſt) huiuſmodi Pauli decretũ non præiudicat nouiſſimæ diui Ioannis (quæ multo pòſt tẽpore ſequuta eſt) ſententiæ: tum quia nihil obeſt etiã excommunicatũ pro ſua ſalute moneri, dũ ſpes aliqua videt emẽdationis. Neq; eni illi denegantur verba ſalutis. At vbi videat deplorat⁹, ceſſandũ eſſe ſuadet diu⁹ Paul⁹ ab eius increpatione, aut monitione, iuxta illud Pſalmiſtæ: Obmutui, & ſilui à bonis, dũ cõſiſteret peccator aduerſũ me.

Supereſt & hunc diſſoluere nodum, an videlicet ſententia excommunicationis iniuſta (quæ tamẽ intolerabili caret errore: alioqui nulla, ac prorſus negligenda foret) eum, quẽ vinctũ tenet, priuet fructu ſuffragiorũ eccleſiæ? Eſt vtiq; iudicio patrum timenda, vt quæ imitatur præſumptioni. Si igitur veritas abſit, merito inquiritur an huiuſmodi ſententia priuet ligatũ cõmunibus eccleſiæ ſuffragiis? Et quidẽ ſatis conſtat abſtinendum eſſe huiuſmodi cenſurã patienti à communi hominum conuictu, & eorũ obſeruatione, quæ ſcandalũ intuentibus inducerent. idq; ratione obedientiæ paſtori ac præſuli debitæ: cuius oraculo cauetur cenſurã etiam iniuſtè latã, modo ne adſit intolerabilis error, eſſe timendã obſeruandãq;, præſertim in manifeſtis operibus, perinde atq; ſi iuſta foret. Cùm autem ſuffragiorum eccleſiæ diſtributio veritati potius innitatur q̃ præſumptioni, ac fide tãtum potius quàm ſenſu percipiatur: plane intelligendũ eſt innoxium cẽ-

ſura

ſura excommunicationis affectũ nõ priuari eccleſiæ ſuffragiis. neq; id eccleſia intẽdit, cùm in his veritas non præſumptio attendatur. Quod liquido apparet ex ſententia Auguſtini. xi. quæſt. iij. ca. Illud. Illud (inquit) planè non temerè dixerim, q; ſi quiſq̃ fidelium fuerit anathematizatus iniuſtè: potius ei oberit qui facit, q̃ qui patitur iniuriã. Spiritus enim ſanctus, per quẽ quiſq; ligatur aut ſoluitur, immeritã nulli ingerit pœnã. Item eadẽ quæſtione in ca. Et ſi. aliud eſt ſella terrena, aliud cœleſte tribunal: ab inferiori accipit ſentẽtiã, & à ſuperiori coronã. Non ergo ob aliud timenda eſt iniuſtè lata cẽſura, quàm ne innodatus proximũ ſcandalizet, ſi viderit excommunicatũ ſententia iudicis ipſius nolle parêre mandatis. In reliquis autẽ Chriſtianæ libertatis fructu merito gaudere poterit: tantũ ne palã reſiſtat præſulis edicto, ne ſimul dei ordinationi, donec ſententia iuſta præſumitur, reſiſtere videatur. Vt aũt amplius aliquid dicã: is qui frater cenſetur, nempe fidelis, excõmunicatus tamen: non ſic ab eccleſiæ communione exulat, vt omnino negetur eſſe de eccleſia. Verùm ea parte extra eccleſiã eſſe dicitur, qua à cõmunibus eccleſiæ honoribus & ſuffragiis extruditur, Ideóq; habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus: nõ tamen omnino vt Ethnicus vt qui retineat fidẽ, ſed quadãtenus pro Ethnico habend⁹ eſt. Atqui non idẽ prorſus fuerit haberi pro Ethnico, & eſſe verè Ethnicũ. Ethnicus enim eſt extra fidem eccleſię: excõmunicatus autem tantũ extra eccleſiæ cõmunionem, & quadã ex parte extra eccleſiam. Quod diuus Paulus ſatis indicat, cum ait poſteriore Theſſalonicenſium vltimo: Nolite eũ qua-

ſi inimicum exiſtimare,ſed corripite vt fratrē. Manet ergo frater fide. Et ſicut corripi poteſt, ita priuata oratione iuuari. Priuatur autem fructu ſuffragiorum eccleſiæ communium,quæ pro vniuerſitate fidelium effunduntur. Non enim debet in oratione publica haberi pro membro eccleſiæ. Et ſicut olim tradebatur ſatanę corporaliter,ita ex intentione eccleſię priuatur cōmunibus ſuffragiis ſpiritualiter,nō tam propter peccatum ſimplex quàm propter contumaciam. Ideoq́ue priuatur vſu & fructu actuum legitimorum,vt Paulus voluit,dicens: Hūc notate,& non cōmiſceamini cum illo,vt confundatur. Qui & ipſe in Corinthiis ait: Auferte malū de medio veſtri. Nec ſic tamen eſt extra cōmunionem fructuum communium, vt non poſſit particularib' & mendicatis vti ſuffragiis. Cui enim nō eſt deneganda correctio, neque auferenda venit priuata apud dominum pro emendatione ſupplicatio.

Atqui vno extincto dubio,mox & alter ſe offert hæſitandi locus. Nam ſi Paulus non niſi cœtu legitimo cōgregato diris deuouere attentarit thori paterni violatorem, qui ſcilicet nouercam ſuo adhærere fecerat lateri:ſi inquam vnū, aut duos,aut plures cōgregatos eſſe oportet ad ſententiā excommunicationis iaculandā: qua igitur fronte quis audet eccleſiaſticus iudex vnus & ſine aſſeſſore ſententiā excōmunicationis ferre in contumacem, non prius accerſitis nōnullis de eccleſia, qui eius auctoritate eā ſententiā pronuncient? Huic reſpondebo & quidē facilè,ꝙ ille inſtitutus iudex non ſuo ſed eccleſiæ nomine ſententiā iam latam declarat & id quidē in ſentētia canonis veriſſimū eſſe nemo dubitat.

De ſen-

De ſententia verò iudicis idem quoq; cenſendũ eſt. Nã prius eccleſia apertis legibus decreuit, vtpote & canonibus,& decretalib⁹ epiſtolis, quo caſu excõmunicationis ſententia ferenda ſit. Atqui hos canones Chriſtiana eccleſia quodã veluti ſenatuſcõſulto iam pridẽ ſtatuẽdos eſſe pronunciauit, ſtatutoſq; probauit. Extant enim in eã rem conciliorum decreta. Iã quod ſupereſt, iudex facit: qui ſecundũ iura & canones pronunciat, legemq; ab eccleſia iã ſtatutam exequitur: & huius auctoritatis capax eſt quiuis iuriſperitus de toto eccleſiæ cœtu. Nã & ipſe ad id inſtitutus, perſonã gerit eccleſiæ particularis eius diœceſis, in qua iudicandi prouinciã ſuſcepit: ita vt cenſeatur eccleſia feciſſe, quod ille nomine eccleſiæ inſtitutus demandat executioni. Sic enim paſtor eccleſiã repræſentat. Sic officialis iudex in his, quæ ad negotium forenſe pertinent, perſonam eccleſiæ gerit, dũ in eo perdurat officio. Sic & conciliũ vniuerſale congregatum ex certis perſonis ab eccleſiis particularib⁹ in hoc legitimè delegatis, non dubiũ quin totius eccleſiæ Chriſtianæ perſonã induat,& auctoritatem aſſumat: vt id exequi poſſit, quod omnes Chriſtiani, ſi adeſſent, facere poſſent. Hoc enim exprimunt procuratoria diplomata à particularibus eccleſiis per huiuſmodi procuratores impetrata. Cenſetur itaque eccleſia dixiſſe, qui prælato iudici, aut procuratori ab eccleſia permiſſo, quidpiam denunciauit.

Supremo tandem loco tollendũ eſt de via offendiculum, quod hæreſum ſatores Lutherani omnia interturbãtes, vt ſunt quietis impatientiſſimi, ſtruere curarunt. Quos idcirco malè habet quiuis vſus

censurarũ,q̃ lege sit vetitum, Ne alter alteri maledicat. Ne autẽ sine causa delirasse videantur, struẽ quandam sententiarum congerunt, quibus persuasum volunt nemini licere alteri mala imprecari, ac nec sic quẽpiã diris deuouere. Benedicite (inquiũt) & nolite maledicere. Et illud: Nemini malũ pro malo reddentes, neq; maledictũ pro maledicto: Et vt in epistola Iudæ legitur: Michael non ausus est iudiciũ inferre blasphemiæ, hoc vnũ dixisse contentus, Imperet tibi dominus: aliâs, Increpet te dominus. Hoc autẽ ignorant stupidi homines aliud esse zelo vindictæ cuiq̃ sinistri aliquid imprecari, aliud absterrendo à malis aliquem diris deuouere, Christi apostolorumq; exemplo. Quoties enim legimus Christũ comminationibus terruisse omni adamante duriores Pharisæos, vt cũ diceret: Vos ex patre diabolo estis, & desideria eius vultis facere. & illud, Quæretis me & in peccatis vestris moriemini? longũ esset referre quoties maledictionis tessera eorũ peruicaciam fuerit insectatus, vt cùm diceret: Væ vobis hypocritæ Pharisæi, qui tulistis clauẽ scientiæ. Væ qui estis similes sepulchris dealbatis. Væ qui ædificatis monumenta prophetarũ, & patres vestri occiderũt illos. Omitto alia, quę magno sunt numero. Paulus diris deuouet nouercæ cõcubitorẽ: pseudopõtificẽ, qui cõtra legẽ iussit eũ percuti: Alexãdrũ ærariũ diuini numinis ira aĩaduertendũ relinquit. Diuus Ioãnes hominẽ hæreticũ nec cõmuni salutatiõis dignat obsequio. Iudas in sua canonica impios seuerissimè insectat diris ac duris eos depinxit coloribus. Suprà aũt recẽsuimus quoties Moyses Hebręorũ ceruicẽ durissimã saxis maledictionũ innumeris

meris obtuderit,atq;(vt veriùs dicã)obruerit. Si omnes Psalmistę locos enumerare velim,dies me deficiet enarrantem.Cõfundãtur,inquit, & reuereantur,qui volunt mihi mala. Erubescãt & conturbentur vehementer omnes inimici mei.Et illud: Nónne qui oderunt te domine,oderam, & super inimicos meos tabescebam? Deniq; quæ imprecationũ plaustra,quã deuotationum iliadem in vnum hunc psalmum,Deus laudem meam ne tacueris. spiritu afflatus propheta coniecerit, vanum sit recensere. Pari instinctu Esdras cùm aliâs sæpe, tum verò hoc maximè loco maledictis insectatus est religionis osores & hostes,dum ait secundi Esdræ quarto capite: Audi deus noster,quia facti sumus despectui. Conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur: quia irriserunt ædificantes.

Eant nunc hæreti, & negent diris deuouendum esse virum contumacem, quem dominus haberi iubet pro Ethnico & Publicano.Paulus tradit Satanæ in interitum carnis. Idemq́ue alio in loco impium hominem iubet esse anathema,maranatha.Et nõ vident impij homines suam in apertissima luce cæcutientiam:qui cùm deum non inuocent,illic trepidãt timore vbi nullus timor: execrationis vocabulum horrentes, cùm tamen se vltrò ac sine discrimine coniiciant in laqueos anathematis ac censuræ ecclesiasticæ. Verba fugiũt, rem autem ipsam vltrò amplectuntur & quidem vsu plusquã quotidiano. Hoc igitur vnum dixisse sufficiat, execratorias omnes imprecationes omnes cõminatoriè accipi debere:

vtpote(nisi mentem resumant saniorem) quibus toto cœlo aberrare maxima semper & peruicacissima cura fuit: quales sunt hi, qui suis criminibus præfractisque errorum sententiis nullum vnquam adhibere curarunt aut finem aut modum. Hinc emanauit canon, Debent duodecim sacerdotes. ex concilio Rothomagensi. 11. quæst. 3. Sed & amplius retũditur huiusmodi peruicaciæ delirium ex processu Ioannis vigesimisecundi aduersus Petrum de Corbario: cuius fulminantia verba exempli causa subnectere libuit. Ea sunt huiusmodi, Et quia præfatus Petrus sanctam Romanã ecclesiam ambitione sua damnabili, quantum in eo fuit, confundere ac perturbare tentauit: tam ipsum quàm eos, qui eum receperunt, excommunicationi subiacere volumus: & totius sacri ordinis priuatione mulctamus: ita vt viatici etiam eis, nisi tantùm in vltimis, communio denegetur. Qui & reputentur, nisi resipiscant, cum impiis, qui non resurgunt in iudicio: ac cũ Dathan & Abiron, quos terra viuos absorbuit, recipiãt portionem. Omnipotentis insuper iram & sanctorum Petri & Pauli prædicatorum, quorum ecclesiã præsumpsit, quantum in eo fuit, confundere: in hac vita furorem contra se sentiat, & futura fiat habitatio eius deserta, & non sit qui inhabitet in tabernaculis eius. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Cõmoti commoueantur ipse ac eius filij, & mẽdicent, & eiiciantur de domibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substãtiam eius, & diripiant alieni labores ipsius. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cũcta sint ei elementa cõtraria: & omnium sanctorũ quiescentium illũ confundant merita, & in hac vita super eum

per eum apertam ostendant vindictam. Illos verò, qui ei curabunt resistere, ac ipsum prosequi & repellere, omnipotentis gratia protegat: & beatorum Petri & Pauli prædicatorum absoluat auctoritas ab omnibus vinculis peccatorum, Amen. Hæc ille.

Locum igitur habent huiusmodi imprecationes aduersus religionis hostes in hoc maximè, vt hostes esse desinant vel emendati vel certè iudicati. Dato interim loco timori domini (saluo tamen secretiore dei consilio) tantùm exprimitur, qua pœna digni sint. Vti autem reuelatio, quam exteriorem theologi vocant, etiam super damnatione futura comminatoriè potius accipienda est, quàm vt necessitate quadam sequatur effectus: ita huiusmodi fulmina excommunicationum eo intellectu accipiēda sunt, vt vel sono terreant, vel tandem feriant præfractū. Nam correpto pestilente etiam stultus sapientior erit. Huc spectant verba Pauli: Dominus conteret Satanam velociter sub pedibus vestris. Veruntamē sale opus est, ne huiusmodi aggrauationis & reaggrauationis formula iusti & æqui limites excedere videatur. Primùm enim ex Speculatore libro secūdo, vbi de forma sententiæ excommunicationis loquitur, illud sciendum quod ait: Illud autem scias quòd in enormibus delictis, & contra tyrannos claues ecclesiæ contemnentes, quandoque fertur sententia excommunicationis per episcopum cum magna solennitate: & hoc dicitur anathema. Forma autem ea est, quæ cōtinetur in cap. Debent. 11. quæst. 3. vbi fit extinctio candelarum cum his, aut similibus verbis: Sicut candelæ hæ extinguūtur: sic opera eius coram deo extincta erūt, donec ad cor reuersus

obediat.

obediat. Ex quo constat non passim hanc solennitatem seruari debere, nisi in grauiter enormibus delictis & contra ecclesię contemptores tyrannos. Deinde illud ex eodem damnatur. nam vt idem ait: Quidam fatui iudices suas volentes aggrauare sententias, faciūt presbyteros indutos vestibus sacerdotalibus venire ad domum excommunicati, & ad ostium super tectum domus tres iactare lapides. quod, inquit, ridiculum est. Sufficiunt autem remedia iuris cogitata, facessant igitur quorundam priuata somnia.

Aggrauatio autem fieri potest post omnia iuxta tenorem capituli fin. de pœnis. Nam quod de maledictione Cain, Choræ, Dathan & Abiron, passim cōminatio promulgatur, hoc recedit à limitib⁹ ęquitatis. Absit enim quòd culpæ grauiores eandem maledictionem habeant, quam habuit culpa schismatis tempore Choræ, Dathan & Abiron. Neque enim omnia, vna pertica metiri oportet. Maledictio autem Cain minus huic loco conuenit, cùm illa fuerit desperationis. quod pugnare videtur cum eo, quod mox subiicitur, quòd publicè oretur pro tali, quòd dominus eum conuertat.

Campanę autem pulsantes nihil magis significare videntur quàm solennem eiectionem huiusmodi notorij contumacis. Nam in peccato ad mortē non dico, vt pro eo roget quis. Nec debet fieri comminatio grauioris pœnæ pro minori culpa.

Quòd autē præcipitur decantari psalmus, Deus laudem. hoc non videtur passim admittendum, nisi pro ea causa, quæ continetur in psalmo. Forma igitur sanctior & æquior erit, si auctoritate dei omnipotentis

potentis ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli excommunicetur secundum sententiam capituli primi, De iudiciis. Et cum medicinalis. de sententia excommunicationis. lib. 6. Deinde potest tradi Satanæ in interitum carnis. 1. ad Corinth. 5. & cap. De manifesta. 2. quæst. 1. Et in cap. Absit. 11. quæst. 1. & in cap. Audi. ead. causa & quæst. Ex sententia Hieronymi in libro Iudicum potest etiam illi interdici aqua & igni, pœna quidem olim ab Ethnicis obseruata. Et in casu publici scandalosi ac manifesti contemptus forma haberi potest ex cap. In nomine domini. distinct. 23. vbi exprimitur imprecatio psalmi, Deus laudem. sed istud admodum raro fieri debet. Denique nihil nisi ex præscripto sacrorum canonum attentandum est. Quę tamē omnia cōminatoriè accipi debent, non imprecatoriè, & id quidem nisi abstineat. Nā huiusmodi comminationes quādoque à sanctis vsurpantur: vt. 24. quæst. 3. in cap. Cū sancti. ex sententia Gregorij. Prædicuntur enim imminentia pericula contemptoribus.

Nouissimè verò illud probandum est, quòd cletus magna voce precetur, quòd dominus non permittat huiusmodi contemptorem vsque ad finem in sua sententia perseuerare. Huc enim spectat quod Paulus ait: Nolite eum tanquā inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Licet igitur orare pro excommunicato, sed non fauorabilibus verbis: sed his tantùm quæ faciunt ad deprecationem pœnæ comminatæ. Dum autem ad singulorum mēbrorum noxam deuenitur, illud sumptum videtur ex Deuteronomij. 28. Sed illud animaduertēdum, quòd ibi agitur de religione contempta, & idololatriæ

peccato,

peccato, vbi dicitur: Si nolueris audire vocem domini dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus eris in agro. &c. Quodq; etiam dignum est notatu omnes illæ maledictiones magis corporales sunt & externæ, quàm spirituales & internæ: ideo rarò vtẽdum est maledictione spirituali & non nisi comminatoriè, vel cum quadam cautione interserendo scilicet, quod dominus auertat.

Non inutile forsan fuerit isthuc formulas aliquas proferre: quibus vsos fuisse pontifices, nõ sine maturo senatus Ecclesiastici consilio, ex earum lectione constabit. Occurrebat primùm ea, quam Ioannes vigesimus secundus aduersus Ludouicum Bauarum, suiq́ue schismatis antesignanum Petrum de Corbario proferendam censuit, acerrima sentẽtia, quã postcà subiungemus, interiecto tamẽ prius comminatorio quodam diplomate Calixti, quod in lucem editum est sub annum domini. 1457. sui põtificatus anno tertio. Inciderat tum forsan controuersia super primatis dignitate inter Lugdunensem Rothomagensemq́ue præsules. Declaratumq́ue est Rothomagensem nullatenus subesse Lugdunensi. Cui sententiæ, cùm se non satis audientem præstaret Lugdunensis archipręsul, emanauit tandem sub annum domini. 1467. (decennio scilicet absoluto post latam à Calixto sententiam) monitoria formula, acerrimis referta comminationibus. Perseuerauerat enim hæc controuersia à Calixto ad Innocẽtium, demumq́ue peruenit ad Pauli secundi annum in suo põtificatu tertium: forma autem verborum sic habet:

Si verò dominus archiepiscopus Lugdunensis, vel

vel eius officiales,administrator,aut quicunque alij cōtradictores & rebelles supradicti huiusmodi denunciationem, excommunicationem & ipsius sententiam per decem dies post eandem denunciationem sustinuerint: extunc processus nostros huiusmodi aggrauantes, præfatis nostris subdelegatis sub dicta excommunicationis pœna committimus & mādamus,quatenus singulis diebus dominicis & festiuis in suis ecclesiis monasteriis & capellis infra præscriptarum horarum solennia, dictam denunciationem excommunicationis reiterando & innouando, præfatos Archiepiscopum Lugdunensem, vel eius officiales, aut administratorem, contradictores quoque quoslibet & rebelles(vt præmittitur) excommunicatos nominatim,campanis pulsatis,cādelis accensis,& demum in terram proiectis, cruce erecta & religiosè inducta, aquam benedictam aspergendo ad fugandum dæmones,qui eos detinent, sic ligatos & suis laqueis cathenatos orando, quòd dominus noster Iesus Christus eos ad catholicam fidem & sanctæ matris ecclesiæ gremium reducere dignetur: ne eos in tali peruersitate dies eorum finire permittat,cum decantatione responsorij: Reuelabunt cœli iniquitatem Iudæ, &c. Et psalmi, Deus laudem meā ne tacueris. cum antiphona,Media vita, totaliter. Et hoc facto & finito, ad ianuas ecclesiarum suarum vnà cum clericis & parœcianis accedendo ad terrorem, vt dominus Archiepiscopus Lugdunensis,vel eius officiales,administrator, aut quicunque alij contradictores & rebelles supradicti,eò citius ad obedientiam redeant, tres lapides versus domos habitationum suarum proiiciendo,

endo, in signum maledictionis æternæ: quam deus dedit Dathan & Abirõ, quos terrauiuos absorbuit, etiam post missam, & in vesperis, & aliis quibuscũque horis canonicis, sermonibus & prædicationibus publicis, solenniter publicent, & denuncient: & ab aliis quantum in eis fuerit, denunciari & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius euitari faciant, donec & quousq; aliud à nobis vel superiori nostro habuerint in mandatis.

Hæc idcirco retuli, vt quisq; intelligat à multis iam diebus & annis, primarios ecclesiæ proceres, nõ sine maturo eorũ (qui tum his negotiis præerãt) consilio seuerioribus aduersus rebelles cauteriis fuisse vsos. Nec dissimilem in talibus formam tenuisse Ioannem vigesimum secundum ex purpuratorum etiam patrũ & consilio & consensu mox apparebit: Idq; ex chartulario Ioannis vigesimi secũdi in causa multis diebus agitata aduersus Ludouicum Bauarum exauthoratum imperatorẽ, & ab eo suffectũ Antipapã Petrum de Corbario. Qui cùm ea omnia, quæ impiè gesserat, dixeratque: meliore tandem vsus consilio recãtauit. Non indignum existimaui subiungere suæ absolutionis ab eodem Ioanne vigesimo secundo editam formulam: Idq; eo consilio feci, vt aliquãdo intelligãt ecclesiæ hostes infensissimi, iure ne an iniuria processerit aduersus Bauari schismaticam temeritatem Ioannes vigesimus secundus (dum viueret) põtifex vrbis & orbis. Sic tandem his exemplis edocti Romanæ sedis æmuli, à seditiosis tumultibus abstineant. Scriptum enim est: Pestilente correpto, etiam stultus sapientior erit. Sic ergo in prototypo legitur.

Ex processu

Ex processu contra Petrum de Corbario.

NOs de fratrum nostrorum consilio, authoritate diuina & Apostolorũ Petri & Pauli & nostra, præfatum Petrũ de Corbario, qui audaci sua ambitione & improba ecclesiam dei (quæ cùm vna sit, est tamen à Christo per totũ mũdum in multa membra diuisa.) Episcopatũ quoque (qui cùm sit vnus, est episcoporum tamen multorũ concordi innumerositate per diuersum orbem diffusus) nititur scindere, ac per ciuitates & loca pseudoepiscopos & prælatos alios de facto instituere, vt sic vsurpatum statum in suæ & multorum periculum animarum valeat retinere, perpetuò anathemate cum suis authoribus fautoribus & sequacib᾿, à liminibus sanctæ dei ecclesiæ separatũ sicut Antichristum, & inuasorem, ac totius Christianitatis (quãtum in eo est) destructionẽ, de fratrum nostrorum consilio abiicimus: ipsum ab omni gradu ecclesiastico, in quo prius existeret, deponim᾿ de plenitudine potestatis. Quisquis autem recipere, vel eidem tanquam suo põtifici adhærere, vel reuerentiã exhibere, aut in aliquo ipsum defendere præsumpserit: eundem pari sententia mancipamus. Et quia præfatus P. sanctam Romanam ecclesiam ambitione sua damnabili (quãtum in eo fuit) confundere ac perturbare tẽtauit: tam ipsum quàm eos, qui eũ receperunt, excõmunicationi subiacere volum᾿, & totius sacri ordinis priuatione mulctamus: etiã vt viatici etiã eis, nisi tantùm in vltimis, cõmunio denegetur. Qui & reputẽtur, nisi resipiscant, cũ impiis, qui non resurgũt in iudicio: ac cum Dathan & Abiron, quos terra viuos absorbuit, recipiant portionem.

P Omni-

Omnipotentis insuper iram, & sanctorum Petri & Pauli prædictorum, quorum ecclesiã præsumpsit, quãtum in eo fuit, confundere, in hac vita furorem contra se sentiat, & futura fiat habitatio eius deserta & non sit qui inhabitet in tabernaculis eius. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Commoti commoueantur ipsi, ac eius filij, & mendicent, & eiiciantur de domibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores ipsius. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta sint ei elementa contraria: & omnium sanctorum quietum illum confundant merita, & in hac vita super eum apertam ostendant vindictam. Illos verò qui ei curabũt resistere, ac ipsum prosequi, & repellere: omnipotentis gratia protegat, & beatorum Petri & Pauli prædictorum absoluat auctoritas ab omnibus vinculis peccatorum. Amen.

Responsio super tractatu Bauari facta Regi Boemiæ, & aliis nunciis, ex regesto Ioannis vigesimi secundi: cuius exemplar minus quàm vellem detersum, ad manus nostras peruenit.

IOANNI REGI BOEmiæ illustri.

Regię serenitatis pridem recepimus literas continentes, quòd tu fili charissime, & venerabilis frater noster Archiepiscopus Treuerensis tuus patruus, diebus istis cum Bauaro de voluntate & conscientia magnifici principis Othonis ducis Austriæ, & per eũ super hoc informati

mati plenius,tractatus aliquos personaliter habuistis. Qui quidē tractatus sanctę Ro.ecclesiæ ac personæ nostræ secundum tuum fili charissime ac dictorum principum iudicium, vtilitatem recipiunt in omnibus & honorem,prout tu & ipsi per ambassiatores nostros solennes in proximo destinandos ad curiam,nos intēdebatis plenius informare. Subsequenter verò alias regias recepimus literas, continentes quòd ad nostram præsentiam dilectos filios nobiles viros Godofredum comitem de Lināges, Simonem Philippi militem, Gulielmum Pinchon archidiaconum Abrincensem consiliarios,ac Nicolaum de Mestorf clericum regios destinabat. Quibusdam nunciis tu & præfatus archiepiscopus in his, quæ nobis pro parte vestra exponerent viua voce,tanquam vobis adhiberi fidem plenam petiistis. Quos vtique (excepto dicto Simone,qui dicebatur propter ægritudinem impeditus) vnà cum præfati ducis Othonis nunciis consideratione mittentium benignè admisimus, & audiuimus diligenter. Quibus auditis, & quæ proposuerunt oretenus plenius intellectis: nuncij ipsi sub commissa sibi præfata credentia, quandam nobis exhibuerunt schedulam tenoris sequētis: Ista est intentio dominorum scilicet regis Boemiæ, Archiepiscopi Treuerensis,& ducis Austriæ, quod per eos tractetur & ordinetur concordia & compositio inter dominum nostrum papam, sanctamque Romanam ecclesiam ex parte vna,& Bauarum ex altera. Et si huiusmodi tractus & ordinatio commodè sint accepti domino nostro Papæ,ipsiq; Romanæ ecclesiæ: virtute potestatis eis à dicto Bauaro cōcessæ, inter alia

facient ista fieri per Bauarum. Primò, ꝙ cum effectu deponet suū hæreticum antipapam. Secūdò, quòd penitus ab appellatiõe recedet. Tertiò, quòd omnia quę fecit seu attẽtauit cõtra sanctam personã domini nostri papæ, ecclesiamq́; Romanã, reuocet cũ effectu. Quartò, ꝙ recognoscet se excessisse, & sententias excõmunicationis ipsum ligasse. Quintò, ꝙ gratiæ domini papæ se offeret ad misericordiã. Et si Bauarus dicta facta sic tractata & ordinata facere non vellet: sciat sedes apostolica, ꝙ dictus Bauarus antedictos dominos non modicum cõmouebit, & à consiliis eorum recedet, ac potestatem eis concessam infringet, intantum quòd huiusmodi factum præordinatum per Bauarũ tamen nõ adimpletum, possit resultare in magnum honorem & vtilitatem ecclesiæ Romanæ. Hæc omnia sic intelligãtur, quòd Bauarus & in honore & statu suo remaneat, scilicet in regno & imperio. Profectò fili, quin intentio tua aliorumq́ue principum circa pręmissa recta fuerit, nequaquam in dubium reuocamus: sed fuisset admodum nobis gratum, quòd tu fili charissimè & præfati principes conditionem præfati Bauari, & ingressum eius ad imperium, & in eundem progressum examinassetis attentius in consistorio rationis: profectò ipsum reperissetis priuatum iure, si quod sibi ex electione illa in discordia celebrata quæsitum fuerat, iustitia exigente. Et quia his non erat cõtentus, M. de Paterna & Ioannem de Ianduno, qui quendam librum cõposuerant plures hæreses continentem, & ad eum velut hæreticorum patronum fugerant, promptè recepit: & vt illos errores prædicarent, publicè non erubuit impartiri fauorem.

Hinc

Hinc fuit declaratus hæreticorum fautor publicus & notorius,& vt hæreticorum fautor(exigente iustitia)cōdemnatus. Sanè quia diutius expectatus ab his non resipuit, sed velut venundatus vt faciat malum, nedum fauorem impendere curauit hæreticis, sed ipsis hæresibus facto & verbo non est veritus se immiscere: fuit meritò pronunciatus hæreticus,& vt hæreticus exigente iustitia condemnatus, prout hæc in processibus Apostolicis plenius continentur.Ex prædictis satis potest eius inhabilis cōditio ad imperiale fastigium apparere. Qualis autem ingressus eius ad imperium fuerit, ex sequentibus patet,quòd deo odibilis,iniuriosus sanctę dei ecclesiæ & de facto duntaxat nimium temerariè attentatus.Sicut enim ex prædictis iam liquet,electus fuerat in discordia,priuatusque(exigente iustitia) iure, si quod sibi ex electione eadem fuerat acquisitum: & nihilominus fautor hæreticorum declaratus & hæreticus, & vt fautor & hæreticus condemnatus. Quibus non obstantibus, vt ad ea quæ requirit imperialis dignitas, videlicet inunctionem,consecrationem, & coronationem posset saltem peruenire de facto,cùm de iure non posset, Petrum de Corbario in Christi opprobrium, subuersionem catholicæ fidei,& iniuriam totius cœtus catholici in antipapam assumere non expauit. In quo quidem facto confessus,ipso facto illam damnatam hæresim quam incurrerat antea, scilicet quòd ad Imperatorem papam pertineat ordinare,à quo quidem P. se pati inungi, seu fœdari potius, non erubuit, ac etiam coronari. Ex quibus patet, qualis ingressus fuerit ad imperialis fastigium dignitatis.

tis. Progressus autem eius qualis fuerit, est lippis & tonsoribus satis notum. quia vbicunque fuerit, ecclesiam catholicam & fideles est manifestè & immanissimè, vt membrum Satanæ persecutus, ecclesias ipsas vasis & ornamentis spoliando ecclesiasticis, ac fideles compellendo violare interdictum ecclesiasticum & prophanare diuina, spoliando insuper viros catholicos suis prælationibus & beneficiis, ac eis de facto hæreticos & schismaticos subrogando, ipsisque hæreticis & schismaticis contra catholicos impartiendo fauorem & consilium, ac fideles ipsos immaniter persequēdo. Profectò fili probabiliter arbitramur & credimus, quòd si ad memoriam tu & dicti principes reuocassetis prædicta, nullatenus dixissetis ipsum remanere in regno & imperio ad vtilitatē & honorem nostros, & ecclesiæ vestro iudicio pertinere. Quomodo enim posset ad vtilitatem & honorem ecclesiæ pertinere, quòd vir tam reprobus de fautoria hæreticorum & hæresi iusto condemnatus iudicio, regno & imperio possideret: qui etiam hæreticos in suo habet consortio, & quantum ad clericos hæreticorum & schismaticorum consilio gubernatur? Tenet enim in suo cōsortio Iacobum episcopū dudum Castellanensem, episcopatu Castellanēsi priuatum. Item Michaelē de Cesenna olim ordinis fratrum minorum generalem ministrū, qui suis exigētibus demeritis est pronunciatus hæreticus, & de hæresi condemnatus. Gulielmū quoque Okam Anglicum ordinis fratrū minorum hæresiarcham, qui hæreses varias dogmatizabat publicè, & scripta fecerat hæresibus & erroribus plena: propter quæ

fuerat

fuerat vocatus ad curiam, eiusque scripta fuerant pluribus doctoribus assignata, vt ea deberent examinare cum diligētia, & quæ inuenirent hæretica seu erronea declarare: qui iā multos articulos declarauerunt hæreticales. Qui quidem malè sibi conscius, fugæ præsidio vitare voluit canonicam vltionem. Bonagratiā insuper de Pergamo ordinis fratrum minorum, qui suis demeritis exigētibus in curia fuerat arrestatus, & iuramento præstito quòd de curia non recederet absque licentia Apostolicæ sedis obligatus: qui malè similiter sibi conscius de curia ad ipsum Bauarū & Pe. de Corbario vnà cū Michaele & Gulielmo prædictis gressus suos infœlices dirigere procurauit. Marsilium quoq; de Padua condēnatum de hæresi in sua familiaritate detinere præsumpsit. Talibus est stipatus consiliariis, talium consilio ne dicamus dolo, decipitur, gubernatur. Qualem itaque posset de tali homine habere ecclesia defensorem? Si enim in arido, id est sine statu nisi vsurpato tam crudelis sibi persecutor extiterit: qualis idem putas existeret, si in viridi, hoc est, in statu solido se videret? Rursus, quomodo sub regimine talis hominis degere posset Christianus populus, quem sic afflixit immaniter? Profectò fili talem hominem dimittere in regali & imperiali regimine, non esset consulere populo, sed nocere: non præstare regimen, sed augere discrimen. Si enim integritas præsidentium salus est subditorum: sequitur, quòd instabilitas & infidelitas ipsorum sic præsidentium, perditio sit eorum subditorum. Qualem putas fili ex principatu huiusmodi (quem extorsit seditio, & am-

bitus occupauit) subsequi posse finem? Profectò sperari non potest probabiliter, quod bono peragi possit exitu, quæ tã malo & peruersò sunt principio inchoata. Audi quid de talibus principibus Sapiens dicat: Regnantibus (inquit) impiis ruinę hominum, scilicet subsequuntur. Et alibi: Gemet (inquit) populus, cùm impij sumpserint principatum. Attende fili, quàm esset gregi dominico sub tam infideli principe viuere formidandum. Teste enim Sapiente: Qualis est rector ciuitatis, tales sunt vel fiunt, habitantes in ea. Esset itaque nimium formidandum, quòd si remaneret in præfato regimine, multos à fide retraheret catholica, suæque perfidię (quod absit) plurimos aggregaret. Adhuc fili, quantum in principe quolibet veritas requiratur, tua non ignorat prudentia, & quantum in eo vigeat te audiuimus non latere. Sanè si, quæ offeruntur pro parte Bauari fili charissime, cogites diligenter: reperies vtique, quòd de tot & tantis excessibus per eum commissis emendam deo & ecclesiæ nullam offert. In primis enim offertur pro parte sua, quòd ipse Bauarus deponet suum hæreticum antipapam: hoc autem non est offerre emendam aliquam de commissis. Primò, quia etiam si verus imperator existeret, quod tamen constat eum non esse, depositio talis ad eum nunc non pertineret. Secundò, quia ipsemet Petrus de Corbario reatum suũ humiliter recognoscẽs, à statu illo (quẽ de facto receperat) illi renunciãdo se de facto deposuit, & ab ipso discessit Bauaro: sicut nobis idẽ Petrus his diebus prętеritis per suas literas manu scriptas ꝓpria, quarũ tenorẽ infra reperies, nunciauit.

Secundò

Secundò dicitur, quòd recedet ab appellatione sua. Certe nec emendā aliquam propter hoc offert, cùm nec appellationi suæ, si qua fuerit, renunciare nisi de facto valeat: cùm de iure non tenuerit velut ab hæretico interiecta, & ab eo, á quo nō licet (cùm superiorem non habeat) appellare. Tertio offertur, quòd omnia quæ fecit, seu attentauit contra nos & sanctam Romanam ecclesiam, cum effectu debeat reuocare. In hoc etiam clarè patet, quòd emenda aliqua non offertur. Cōtra nos enim seu contra Romanam ecclesiam nō potuit nisi de facto aliquid facere. Vnde si quid de facto fecit de facto reuocet: nulla in hoc deo nobis vel ecclesiæ præstatur emēda. Quarto pro parte eius offertur, quòd recognoscet se excessisse, & sententiæ excommunicationis ipsum ligasse. Per hoc patet etiā, quòd nec deo, nec nobis, nec ecclesiæ aliqua offertur emenda. Quinto offertur pro parte ei⁹, quòd gratiæ nostræ se offerat ad misericordiam. Per hoc quippe asserit, quòd à nobis petet misericordiam, non quòd aliquā præstet emendam. Vltimò concluditur pro parte Bauari supradicti, quòd omnes oblationes supradictę intelligentur ita, quòd Bauarus in honore & statu suo permaneat, scilicet in imperio & regno. Ex quo proculdubio euidenter concluditur, quòd de his quę cōmisit, est impœnitēs homo iste: & ideo reddit se de absolutione qualibet (quæ nulli nisi pœnitenti, conceditur) meritò, quantum in eo, est indignum.

Sed iuxta hoc quærim⁹ fili, quomodo intelligat ille Bauarus in regno vel imperio remanere? Aut enim intendit remanere in statu & regno sine iure

in eis

in eis de nouo quærendo: aut per ius nouum, quod intendat acquirere in prædictis. Si enim illa sine nouo iure intelligat retinere: sequitur, quòd regnum & imperium sine iure & honore imperiali & regio detineret. In regno siquidem nullum ius obtinet in præsenti: cùm iure, si quod per electionẽ sibi in eodem quęsitũ fuerat, iusto iudicio sit priuatus. Quãtum ad imperium autem, quia nomen imperatoris per inunctionem, consecrationem, & coronationem quis nanciscitur, factas quidem à Ro. pontifice, seu alio eius auctoritate. Patet igitur ipsum Bauarum ius aliquod non habere: quia non à vero summo põtifice, sed ab antipapa recepisse dicitur & noscitur, supradicta, scilicet inunctionem, cõsecrationem, & coronationem. Quare sequitur, quòd hoc casu imperium sine iure aliquo obtineret: & per cõsequẽs, quòd nisi de nouo ius sibi in regno & imperio quęreret. Nec rex nec imperator debet dici à fideli aliquo, sed fur & latro, iuxta nostri sententiã saluatoris dicentis: Qui non intrat per ostiũ in ouile ouiũ, sed aliunde: non pastor ouium, sed fur & latro potius est dicendus.

Et quòd nullũ ius in regno vel imperio habeat, in præsenti palam est considerandum. Cõstat enim ipsum multa notoriè cõmisisse, ex quo illa discors electio celebrata extitit: propter quæ & quodlibet eorum se prorsus fecit ab honore regni & imperij alienum. Si verò intelligat, quòd sibi de nouo in regno vel imperio ius acquiret: constat quòd (cùm sit sacrilegus, excõmunicatus, & tyrannus) nec à quouis posset eligi, nec sibi etiam ab aliquo (cùm tales sint ineligibiles) de regno & imperio prouideri.

Cùm

Cùm igitur Bauar⁹ petit, quòd in honore suo & statu remaneat, scilicet in imperio & regno: possumus sibi dicere, quod dominus dixit filiis Zebedæi: Nescitis quid petatis. Verè ipse hoc petendo, ignorat quid petat. Rem siquidem impossibilem petit. Impossibile enim est ipsum remanere in honore Imperiali & regio sine noui iuris acquisitione: cùm honorem & dignitatem non habeat, sed ipsum regnū & imperium siue ipsorum honore nisus est vsurpare tyrānicè, & adhuc nititur retinere. Rogamus itaque prouidentiam regiam, & in domino exhortamur, quatenus præmissa attentè considerans: & nihilominus pericula varia & inconueniētia innumera, quæ eius præfata præsidentia vniuersali gregi dominico comminatur, consideranter attendens, & ad ea quæ honorem dei, statum ecclesiæ & imperij respiciunt, prosperum te conuertens, partes tui cōsilij & auxilij sedule interponas, quomodo de persona digna tanto regimine prouideri debeat, sub qua fides stabiliatur catholica, augeatur fidelium numerus, & à noxiis præseruetur. Ad quod quidem nos promptos, dante domino, reperies & omnino paratos. Licet autem offensæ prædicti B. excedant omnes alias, quæ legantur à patrum nostrorum temporibus hactenus perpetratæ: quia tamen, licet immeriti, vices illius in terris gerimus, qui cùm irat⁹ fuerit, non obliuiscitur misereri: more pij patris conuersionem eius & salutē intentis desideriis affectamus, ad dei honorem tuiq; & aliorum principum prædictorum intuitu, & vt salus ipsius B. & multorum aliorum nobis mediantibus procuretur: offerimus, si ad gremiū ecclesiæ redire voluerit idē B.

sicut

ſicut debet, ipſum benignè recipere nos paratos, eiſque tantam & talem impartiri gratiam, quòd tu & principes ſupradicti poteritis meritò contentari. Datum Auinionæ. 2. Kal. Auguſti. Pontificatus noſtri anno. 14.

Cõfeſſio erroris facta per fratrem Petrum de Corbario ordinis minorum, antipapam in ſedem apoſtolicam intruſum.

IOannes epiſcopus ſeruus ſeruorum dei ad perpetuam rei memoriam. Sicut de his quos ab vnitate ſanctæ dei eccleſiæ error abſcidit, prauitatis hæreticæ indubiè fideles eiuſdem eccleſiæ affligi ſupponimus & debere: ſic eos de conuerſione ipſorum ad eiuſdem vnitatem eccleſiæ firmiter credimus congaudere. Sanè auerſionem à fide catholica, & ſeparationem ab eccleſiæ catholicæ vnitate. Petri de Corbario ordinis fratrum minorum (quã inſtigatione verſuti hoſtis, qui à principio ruinæ ſuæ vnitatem eccleſiæ ſanctæ nititur ſcindere, humanumque genus perturbare proceſſiſſe ſupponimus) ad ipſorum fideliũ cõmunẽ nõ ambigimus noticiam perueniſſe. Sed & vt quę illius immenſa miſericordia (quæ omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis deſiderat peruenire) circa conuerſionẽ dicti. P. his diebus operata miſericorditer fuerit, & quid circa hæc idem. P. fecerit, cœtus ipſorum fidelium nõ ignoret: ad eorum noticiã deducimus per pręſentes, vt ſicut Paſſionis eccleſię prædictæ per hoc inflictæ fiunt ſocij, ſic conſolationis & gaudij exiſtant participes & cõſortes. Eos nihilominus exhortantes in domino & rogantes, vt magnitudinem gratiæ impenſæ in hac parte à di-

uina

uina clementia eidem ecclesiæ catholicæ considerantes attente: ei(à quo cuncta bona procedũt) laudes & gratias,& si non debitas vel condignas (cùm hoc etiam per ecclesiam vniuersalem impleri nequeat) saltem eis possibiles studeãt exhibere: ac insuper eidẽ supplicare humiliter & deuoté, vt quod cœperit circa pacem dãdam ecclesiæ tam mirabiliter operari, ipse (cuius perfecta sunt opera) dignetur nunc adimplere.

Et vt certiores reddantur, quòd ad ea quæ continentur inferius, dictus. P. non vi, non metu processerit, sed propria, spontanea, & à spiritu sancto mota (vt nunc credimus) voluntate: transumptũ cuiusdam literæ manu propria dicti Petri, dum adhuc in loco ignoto nobis existeret, missæ nobis, annotãdum pręsentibus duximus quod est tale:

Reuerendissimo ac sanctissimo patri & dño domino Ioanni papæ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ frater Petrus de Corbario, dign' omni pœna, seipsum ad pedes cũ reuerentia veræ subiectionis prosternit. Licet secundum canonem euangelicæ veritatis, Qui non intrat per ostium in ouile gregis dominici, fur appelletur & latro rapacitatis lupinæ: audiens & considerans diligenter tãta enormia scelera prauitatis hæreticæ stylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebãtur à multis de vestra solida fide: sicut præsumptuosus, temerarius & superbus ascendi super astra cœli ecclesiastici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit sedes prælationis iniquæ. Sed postquam deueni ad territorium Pisanum,& quæsiui diligentissimé de prædictis, & inueni quòd obliqua erant & falsa, & deficiebant

ficiebant à pondere veritatis: dolui, & doleo vehemẽter, & pœnitet me fecisse quæ feci contra iura & leges vestri sanctissimi nominis de consilio peruersorum. In cuius rei testimoniũ iam est annus completus, quòd aduersarium vestrum sponte dimisi, & sedẽ mei præsumptuosi culminis dereliqui. Et propono firmiter in ciuitate Pisana, & etiam in vrbe & vbicunque locorum errata mea palam emendando renuere, secũdũ quòd vestra benignissima sanctitas decreuerit ordinãdũ. Et quia grauissimè peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via: supplico vestræ clementissimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundũ multitudinẽ magnam misericordiæ dei viui: vt renuẽs ex totis visceribus, deleam & adnihilem supradicta de cordibus vniuersorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentiũ de vestra serenissima sanctitate: vt in ecclesia decætero sit vnus pastor & vnum ouile pro pace totius populi Christiani. Datum in confinibus Lucaniæ.

Rursus tenor conuersionis, abiurationis, & reconciliationis dicti Petri sequitur in hunc modum: Pater sanctissime, sicut vestra tenet memoria, nec excidit à mea, die xxvi. mensis Augusti proximè præteriti: ego frater P. de Corbario ordinis fratrũ minorum, in vestri sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Ioannis superna prouidente clementia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summi pontificis veri & vnici in terris vicarij Iesu Christi, sacrique collegij vestri Romanorum in Christo patrũ dominorũ Cardinaliũ præsentia, nec non præsente fidelium tam prælatorum & reli-

& religioſorum quàm aliorum clericorum & ſæcularium multitudine copioſa,in publico conſiſtorio quantum ad ſententiam & effectum recognoui, & confeſſus fui,reprobaui,anathematizaui,refutaui,& renui omnes & ſingulos errores & hæreſes, in quibus incideram hactenus ex aſſumptione damnati & hæretici ac ſchiſmatici ſtatus antipapatus,per me erroneè & iniquè dudū aſſumpti: & recognoui quòd iniquo hæretico & ſchiſmatico Ludouico de Bauaria, & nonnullis fautoribus ſuis eius complicibus, in hac parte ſchiſmaticis & hæreticis condemnatis,necnon ex damnabilibus fautoriis & adhæſionibus ipſorum,& plurium aliorum hæreticorum,& ſpecialiter L.prædicti & Michaelis de Ceſenna olim generalis miniſtri ordinis antedicti peſſimorum hæreticorum & ſchiſmaticorum reprobatorum per eccleſiam ſanctam dei, multorumque ſequentium complicum & fautorum ſuorum, quibus in eorum factis peruerſis ac falſis opinionibus & damnatis faui ſæpius damnabiliter,& adhæſi.Illos quoque ac quoſcunque alios errores ac hæreſes abiuraui, iurando ad ſancta dei euangelia mentaliter ac corporaliter per me tacta ,præmiſſa omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare,ac mādatis ſanctæ matris eccleſiæ & veſtris apoſtolicis per omnia obedire.Sanè cùm tunc fatigatus ex labore, debilitatus in vigore,anguſtiatus in dolore,& confuſus ex rubore,confractuſque ex timore, impeditus ex clamore,extinctus in deuotione , mortuus tandē in amore, eo quòd dilexit dudū malitiam ſuper benignitatem, & iniquitatē magis quàm loqui æquitatem,iuſto dei iudicio obmutuerim euidenter, &

ſicut

ſicut volui, non potuerim omnia exprimere ſupradicta. Nec vos etiam forſan beatiſſime pater vnà cũ dicto ſacro veſtro collegio dominorũ Cardinaliũ prædictorum ea plenius propter tumultum aſſiſtẽtium & dicta impedimenta mea intelligere potuiſtis: Ideo latius in præſenti priuato conſiſtorio, reſumptis confortatiuis viribus, poſtquã mihi de benignitate & humanitate clementiæ ſanctitatis veſtræ apparuit, quoniam non ex operibus iuſtitiæ, quæ nunquam feci actualiter, ſed ſecundum magnã dei & veſtram miſericordiam me ſaluaſtis, & operuiſtis omnia mea ſcelera & peccata, laborem meũ oppreſſiuũ ſedando pacificè, ac vigorem perditum mihi reſtituendo integrè, & dolorem afflictiuum dulcificando cõſolatiuè, ruboremq́; cõfuſiuum laudabiliter remouendo, ac timorem meum confortãdo viriliter, & clamorem meum raucũ ſanando celeriter, extinctamq́; deuotionem meam ſuauiter inflammando, & amorem meum mortuum viuificando: cum cõfidentia ſecuritatis pacificæ & benignę, prædictos errores & hæreſes, ac omnia & ſingula ſcelera & delicta mea iniquiſſima & nephãda proponere, confiteri, publicare, & legere volo in ſcriptis: vt certiꝰ pateant vniuerſis, vosq́; beatiſſime pater vnà cũ dictis dominis Cardinalibus poſſitis ea intellectu ſuſcipere pleniori. Quare huiuſmodi hæreſes & errores, ac ſcelera & delicta mea, corã vobis & dictis dominis Cardinalibus ac teſtibus aliis, & clericis cameræ apoſtolicæ publicis tabellionibus, ad laudem & gloriam altiſſimi dei patris, beatiſſimæ ſemperq́; virginis Mariæ, beatorum angelorum, & ſanctorum omnium, ac veſtri ſanctiſſimi

patris

patris prædicti veri & vnici in terris vicarij Iesu Christi, pro salute & pace perfecta totius populi Christiani,propono,cōfiteor,recognosco, publico, & lego per ordinē, vt inferius describuntur: In nomine dei patris omnipotētis ac filij & spiritussan cti,Amen. Quoniam iuxta Sapientis doctrinā, Occultanti scelera sua denegatur benedictio, puré au tem confitenti & ea penitus deserēti est misericordia repromissa: idcirco ego frater Petrus de Corbario ordinis fratrum minorum immanissimus & sceleratissimus peccatorum, hoc consideranter attendens,nolens vlterius cū impiis immisceri,sed cu piēs toto corde in viam veritatis(quam inique deserui)dirigi,ac misericordiam & gratiā Iesu Christi, & vestri beatissimi in Christo patris ac domini nostri domini Ioannis superna prouidente clementia summi pontificis veri & vnici in terris eius vicarij ac ecclesiæ sacrosanctę catholicæ,quibus meis iniquissimis & nephandissimis me priuaui sceleribus,valeam promptius & efficaciꝰ obtinere:quāq̄ nuper Pisis existens coram reuerendis patribus dominis Simone archiepiscopo Pisano, & Gulielmo Lucanensi episcopo, ac discreto viro magistro Ludouico Stephani clerico papalis cameræ & aposto lico nuncio,pręsentibus quoq; multis prælatis aliis ac religiosis & nobilibus ac popularibus ciuitatis prædictæ, errores meos & scelera spontaneè cū ingēti cordis amaritudine confessus fuerim: & dictis archiepiscopo & episcopo ad hoc per vos pater san ctissime deputatis, supplicauerim humiliter & deuoté, vt mihi parato præfatos errores & quoscunq; alios abiurare, ac mandatis stare vestris aposto-

licis:& insuper mihi recognoscenti,q̄ ea quę vt papa,imò verius vt antipapa, tā circa personā hæretici Bauari,q̄ circa creationē (quā de facto pręsūpsi) Cardinaliū & aliorū officiariorū,quos veri summi pōtifices soliti sunt habere, q̄ circa dispositionē & ordinationē patrimonij beati.P. apostoli, necnō & circa priuationē nonnullorū prælatorū à suis prælationibus, & aliorū clericorū à suis dignitatib⁹ & beneficiis aliis ecclesiasticis quocūq; nomine censeantur,& prouisionem attentatā de facto, de præmissis prælaturis dignitatib⁹ & beneficiis aliis ecclesiasticis quibuscunq;,necnō & quæcūq; alia,quæ vt papa quocūq; modo pręsumpserim seu feceram, nulla,pręsumpta ac temeraria fuisse & esse,& ab omni effectu iuris vacua, & nullius penitus existere firmitatis,velut attentata ab illo, cui nullū ius talia faciendi cōpetebat:& illi(cùm essent schismatici & hæretici seu hæreticorū fautores notorij)essent penitus non capaces, necnon & ea quatenus de facto processerant,quantū erat mihi possibile reuocanti, ac nulla fore & inania declaranti, absolutionis mihi impenderent beneficiū ab omnibus sententiis iuris & hominis, quas ob præmissa incurrerā vel aliquod pręmissorū,meq; incorporarēt & restituerēt sacrosanctæ ecclesiæ catholicæ vnitati. Quod vti præfati archiepiscop⁹ & episcopus auctoritate vestra apostolica, ipsis per literas vestras patentes in hac parte concessa, recognitionibus & reuocationibus supradictis receptis, ac iuramento de stando mandatis vestris apostolicis,promptè & liberaliter exequi curauerint:hoc adiecto, quòd in prædictas pœnas & sententias, si ad pristinos redirem errores,vel

res, vel actus schismaticos ac sceleratos reincidere ipso facto: cùm nihilominus illa nuper in diuersis ciuitatibus prouinciæ confessus fuerim, & abiurauerim,& nulla fore per me attenta recognouerim: & ea quæ de facto processerant, quantum poteram & ad me ptinere poterat, reuocauerim, & declarauerim esse nulla:nihilominus tamen ad fortius abolēdas maculas hæresum & infamiæ, quas contraxi & incurri ex præmissis & pluribus aliis damnabilibus fautoriis,adhæsionibus & consiliis per me dudum exhibitis hæretico & schismatico L. de Bauaria principali status mei dānati huiusmodi patratori,ac eius sequacibus fautoribus & complicibus, & specialiter hæretico & schismatico Michaeli de Cesenna olim ordinis fratrū minorū generali ministro,de hæresibus & schismate ac pluribus hęreticorum fautoriis & adhæsionibus per vos pręfate sanctissime pater legitimè condemnato: adhuc tamen errores meos & scelera,in præsentia vestra,sacriq; vestri collegij dominorum Cardinalium cōstitutus,intendo & volo recognoscere & abiurare, ac alia facere, quæ vestra sanctitas duxerit ordinanda.

In primis itaque confiteor,& cum ingenti amaritudine recognosco,quòd cùm seductor ille schismaticus & hæreticus manifestus Ludouicus de Bauaria dudum iure(si quod sibi quæsitum fuerat ex electione discordi de ipso in Regem Romanorum celebrata) Iuste priuat' fuisset per sedem apostolicam & eandem sanctitatem vestram:& vt hæretic' & fautor hæreticorum notorius de multis hæresibus & fautoriis hæreticorum ac schismatibus con-

demnatus, ad vrbem Romanam imbutus indurato ſpiritu perueniſſet: & religioſus vir frater Ioannes de Marliano miniſter Romanæ prouinciæ dicti ordinis fratrum minorum, ac reuerendus in Chriſto pater dominus Ioannes dei gratia ſancti Theodori diaconus Cardinalis ſedis apoſtolicæ, ac eiuſdem veſtræ ſanctitatis legatus pro maiori obſeruatione interdicti (cui tunc erat per vos ſanctiſſime pater ſuppoſita vrbs prædicta) eiuſdem Ludouici aduẽtu percepto, mihi & aliis fratribus in eadem vrbe morantibus ſub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerant, publicè iniunxiſſent, vt dictam vrbem omnes & ſinguli exiremus: ego tamen infœlix peccator, præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licèt omnes alij fratres (paucis exceptis) eiſdem legato & miniſtro promptius obedirent, in eadem vrbe præſente dicto hæretico peſſimo & ſchiſmatico Ludouico & aſſiſtentibus, & pluribus aliis hæreticis & ſchiſmaticis condemnatis & reprobatis per ſanctitatem veſtram & eccleſiam ſanctam dei, pertinaciter remanere præſumpſi. Et in ea (licet eſſet iuſtè & ſanctè per vos eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita) celebraui diuina ſæpius, imò quãtum in me fuit, veri⁹ prophanaui. Deinde cùm idẽ perfid⁹ Ludouicus datus in reprobũ ſe de facto feciſſet, in imperatorẽ à certis Romanis perfidis coronari, & cõtra vos diabolicam & iniquiſſimam depoſitionis, imò verius abuſionis, promulgaſſet ſententiam, ac proceſſus diuerſos, temerarios, falſos nimium & iniuſtos: meq̃ue ad quorũdam principalium Romanorum clericorum & Laicorum inſtantiam eius ſequacium,

vnà cum

vnà cum certis de clero & populo perfidis eius cõplicibus & fautoribus ad hoc secum vocatis, in papam & summum pontificem, imo verius antipapã, damnatum & pestiferum elegisset: ego miser inductus, imò seductus, suis & multorum tam clericorũ quàm Laicorum eius fautorum & sequacium dictæ vrbis precibus importunis, & perniciosis instantiis ac infestis, falsè & erroneè asserentium, quòd papã Imperator deponere poterat, & loco depositi aliũ ordinare: & quòd per consequens eidem hæretico & schismatico Ludouico (qui tunc in fictum & falsum imperatorem denuo se coronari de facto fecerat, & vos pater beatissime abusiuè deposuerat) hoc licebat. Mea superbissima electione more Luciferi ambitioneque damnabili excæcatus, huiusmodi electioni tam nephandæ quàm reprobæ, imò nimis malitiosę, consensum meum temerarium & elatissimum & excæcatum, sicut præmittitur omni pœna dignissimum, non erubui adhibere. Et consequenter consecrari, imò execrari, ab hæretico & schismatico Iacobo dudũ Castellanensi episcopo excommunicato & deposito, & coronari à dicto hæretico Ludouico de. B. me permisi: licet ad eum, etiam si verus imperator existeret (sicut reuera non erat, nec est, sed hæreticus manifestus & reprobus) egoque verus essem papa (sicut in rei veritate non eram, sed antipapa potius, schismaticus, hæreticus & iniquus) nequaquam talis coronatio pertineret. Item, quòd Cardinales, imò verius anticardinales, & omnes officiarij (quos verus papa est habere solitus) ordinare de facto præsumpsi, bullamque more papæ (licèt es-

 sem re-

ſem reprobus & damnatus) fieri feci & habui, eaſque falſò vſus fui temerè & iniquè. Et vt ſtatum meum peruerſiſſimum & Ludouici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici & ſchiſmatici Michaelis de Ceſenna dudum miniſtri generalis ordinis prædicti fratrum minorum quòd Chriſtus & eius apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt niſi tantùm vſum facti ſimplicem, poſſem fortius ac promptius ſtabilire, dei timore poſtpoſito, extendens ad omnia illicita manus meas: proceſſus & depoſitionis ſententiam Ludouici manifeſti prædicti hæretici, & de pluribus hæreſibus condemnati contra vos, ſanctiſſime pater, habitam & etiam fulminatam, ſupplēs omnem defectũ, ſi quis eſſet in ipſis ex certa ſciētia & de plenitudine poteſtatis non ſolùm illos cōfirmare & mei ſcripti communire patrocinio nō erubui, ſed etiam de nouo ſententiare, pronunciare, & declarare, ac predicare publicè, omnia & ſingula in dictis proceſſib⁹ promulgata preſumpſi. In quibuſquidē proceſſibus Ludouicus prædictus pronunciabat & declarabat fore hæreticum, & ſcripturæ ſacræ cōtrariũ, dicere: quòd Chriſt⁹ & apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quàm ſimplicem vſum facti. Ex qua quidem pronunciatione, euidēter cōcluditur ipſum & me, etiam ex confirmatione, pronunciatione, & prædicatione prædictis, in damnatam hæreſim per ſentētiam veſtram apoſtolicam de fratrum veſtrorum promulgatam conſilio incidiſſe. Et nihilominus ad diuerſos reges & principes meas literas deſtinaui, per quas ad eorum noticiam deducebam, quòd vos pater beatiſſime (cui multa

falſa,

falsa, hæretica & erronea in eisdem literis imponebam) suggerẽtibus dictis hæreticis L. & M. ac iuxta votum suum ordinantibus, per eundem Ludouicum ac per me eratis deposit⁹: & finaliter reges & principes exhortando nihilominus & rogando, ꝙ vobis beatissime pater tanquam papæ non parerẽt in aliquo, nec fauores aliquos exhiberent: sed cõtra vos potius mihi & dicto Ludouico præberent auxilium & fauorem. Nec his contentus, tam in vrbe quàm alibi in pluribus ciuitatibus & locis aliis clericos seculares & regulares compelli, vt nõ obstãte dicto interdicto, cui per vos beatissime pater erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, imò verius quantum erat in me, prophanarent diuina. Tallias quoq; ecclesiis imposui tam in vrbe q̃ alibi, pro quibus calicibus ornamẽtis & nõnullis rebus aliis ipsas ecclesias spoliaui, fideles insuper prælatos nõnullos & alios clericos dignitatib⁹ & beneficiis aliis ecclesiasticis, in illis præficiendo aut hæreticos, vel schismaticos, vel eorum fautores & plerunq; non absq; simoniaca prauitate, priuaui: quib⁹ (reiectis etiã illis, scilicet quorũ hæc prælatio intererat) de facto, cùm de iure nõ possem, per me vel alium munus consecrationis, imò verius execrationis impendi. Contra quoq; fratres minores non parẽtes Michaeli prædicto tanquã generali ministro (qui tamen reputatus erat iustè, & condẽnatus de hæresi, & hæreticus ac schismaticus declaratus: & alius per generale capitulũ ordinis minorum concorditer in generalẽ assumptus) & contra seruantes interdicta per vos sanctissime pater vel legatos seu officiarios vestros promulgata, vtroq; spiritua-

li videlicet & tẽporali gladio procedere nõ expaui eidẽ M. & suis sequacibus hæreticis & schismaticis iniquè impartiẽdo iniustè ac temerè auxiliũ & fauorẽ. Indulgentias insuper & dispensationes sedi reseruatas apostolicæ præsumpsi concedere dũtaxat de facto & etiã faciẽdo. Nõnullos quoq; , qui ꝑ pontificibus se gerebãt, commisi, vt sacros ordines celebrarent: in quibus ordinibus (vt credo) plures promouerunt temerè, cùm eis virtute prefatæ licẽtiæ nõ liceret. De patrimonio quoq; beati Petri in nonnullis locis ad tẽpus, & interdũ imperpetuũ disponere non expaui. Hæc omnia & plura alia, contra deũ sanctãq; catholicã ecclesiã ac vos B.P. verũ & vnicũ Christi vicariũ, recognosco, & confiteor me de facto iniquè nimiũ & temerè peccasse. Quæ oĩa, & singula recognosco, & confiteor nulla fore & cassa, & inania, velut ab illo, cui faciendi non cõpetebat ius aliquod, attẽtata: eaq;(quantum ad me spectare potest) quaten⁹ processere, de facto reuoco, & nulla fore & fuisse pronũcio & declaro. Cõfiteor insuper, & ore ac animo recognosco, me credere, & tenere fidem illam, quam sancta Romana ecclesia ac vos pater sanctissime tenetis, prædicatis atque docetis: & specialiter recognosco me tenere & credere, quòd ad imperatorem non pertinet deponere nec instituere papam: imò hoc tenere, hæreticum reputo, prout in processu contra hæreticos Marsilium de Padua, & Ioannem de Ianduno, per vos beatissime pater super his & nõnullis aliis erroribus habito, quem diligenter studui, continetur. Item fateor & recognosco hęreticũ esse dicere, Christum & eius apostolos nõ habuisse

in his

In his quæ eos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, niſi ſimplicem vſum facti: licèt dudum contrarium tenuerim, & hoc tenentibus impenderim indebite conſilium & fauorẽ. Et fateor & recognoſco, quòd hoc aſſerentes, ſunt aſſerendi hæretici manifeſti ſecundum quòd in ſententiis veſtris pater ſanctiſſimè (quarum vna incipit, Cum inter: alia verò, Quia quorundam) plenius continetur. Et ſuper materia proprij & communis iuris ac dominij, quod Ieſus Chriſtus dominus noſter & eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt: credo, profiteor & teneo in omnibus & per omnia firmiter, id quod in dictis conſtitutionibus & reſponſionibus per vos factis obiectionibus, quas dictus Michael, eiuſque ſequaces contra conſtitutiones, prædictas fecerunt, de quibus ſum informatus, pleniſſimè continetur. Ac omnia & ſingula ſcripta dicta & publicata contra dictas conſtitutiones & reſponſiones prædictas, & tangentia ea per hęreticos & ſchiſmaticos L.&.M. prædictos ſeu quoſcũque alios, aſſero, recognoſco & dico fuiſſe & eſſe nulla, erronea, ſchiſmatica, hæretica atque falſa: eaque vt talia refuto, renuo, anathematizo, reprobo & deteſtor. Item confiteor & recognoſco in veritate, quòd vos ſanctiſſime pater & domine domine Ioannes papa vigeſime ſecunde, & nullus alius, eſtis ſummus pontifex verus & vnicus in terris vicarius Ieſu Chriſti: & contrarium quod tenui, & dicta quorũcunque idem mecum dicentium, refuto, anathematizo, renuo, reprobo & deteſtor. Item recognoſco & fateor in veritate, ꝙ ego malè falſo, temerè, erroneè & iniquè aſſumpſi, & exercui de facto ſtatum ſummi põtificis, imò verius

rius

rius antipapatus, damnabilem antedictum, & adhæsi & faui hæreticis suprascriptis & pluribus aliis: ideoque statum, adhæsionē & fautoriam huiusmodi per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo & detestor. Item recognosco & fateor in veritate, quòd malè, temerè, & iniquè de facto promoui, & consecrari feci (seu potius execrari) nōnullos prælatos, præsertim schismaticos & hæreticos, seu fautores hæreticorum: & aliquos deuotos catholicos & fideles deposui, & beneficia ecclesiastica pluribus infidelibus schismaticis & rebellib⁹ seu eorum fautoribus contuli, & sæpius per simoniacam prauitatem: quam exercere per dictos hæreticos, desperatos, & alios perfidos nō expaui. Et cætera, quæ verus papa gerere consueuit, malitiosè de facto exercui: quæ omnia reprobo, & detestor. Item fateor & recognosco in veritate, quòd anticardinales & antiepiscopos per me (vt præmittitur) promotos, & quos feci consecrari: imò verius execrari, de facto: non reputo esse cardinales nec episcopos. Imò confiteor ipsos fuisse & esse (si non fuerunt absoluti & reconciliati per vos beatissime pater) schismaticos, hæreticos, atque nullos. Et omnes actus, quos circa ipsos vel quoscunque alios, & specialiter circa Ludouicum prædictum ac eius fautores, complices & sequaces exercui de facto, cùm de iure non possem: dico quantum in me est, fore & fuisse de iure tanquam hæreticos & schismaticos, inualidos ac nullius roboris vel momenti: eosque vt tales quatenus processere de facto, in quantum possum, infringo, irrito & denuncio nullius esse momenti: ac expressè refuto, renuo, anathematizo, reprobo &

detestor.

detestor. Quæ omnia & singula per me supra assertiuè proposita & prolata, iuro per hæc sancta dei Euangelia à me tacta mentaliter & corporaliter, vera esse: ac præscripta vitanda vitare, & obseruãda inuiolabiliter obseruare. Ea verò quæ asserui credere, iuro vt suprà me illa credere, fore vera.

Item omnes errores & hæreses supradictos & eorum singulos, & specialiter dicere, credere & tenere, quòd ad imperatorem pertineat deponere ac instituere: item quòd Christus & eius Apostoli in his quæ habuisse leguntur, non habuerunt nisi simplicem visum facti, & quoscunque errores & hæreses alios abiuro, anathematizo, renuo, reprobo, & refuto. Et insuper promitto & iuro, tactis mentaliter & corporaliter per me euangeliis sacrosanctis, super omnibus & singulis supractis, stare mandatis ecclesiæ sanctæ dei & vestris apostolicis: ac fidem quàm sancta Romana ecclesia catholica, & vos pater beatissime, tenetis, creditis & prædicatis: necnon vestras constitutiones & declarationes factas super materia proprij & communis iuris & domini, quod Iesus Christus & eius apostoli in rebus temporalibus habuerunt, perpetuò & inuiolabiliter obseruare, ac stare & parere in omnibus & per omnia mandatis sacrosanctæ dei ecclesiæ ac vestri præfati domini nostri papę. Item promitto & iuro vt suprà, quòd nunquam præscripta nec infra scripta seu aliqua eorundem per me retractata & abiurata, tenebo, nec exercebo: nec pro tali scilicet papa, me habebo, nec quantum etiam in me erit, permittam quoquomodo ab aliis me haberi. Item promitto & iuro ad sancta dei Euangelia, corporaliter

& mē-

& mentaliter per me tacta, quòd nunquã dictis hæreticis & schismaticis Ludouico & Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus & sequacibus, aut aliis per vos beatissime pater denotatis vel denotãdis scienter, quandiu in rebellione & extra gratiã fuerint sanctæ matris ecclesiæ atque vestrã, adhærebo: nec eis præstabo auxilium, cõsiliũ vel fauorẽ: nec cum eis aut eorum aliquibus ligam, cõiuratio-nem, pacta, cõuentiones, seu conspirationes faciam, aut contraham quoquomodo. Item, quòd cum hæreticis & schismaticis antedictis, seu fautoribus, sequacibus & complicibus eorundem, seu cum aliquibus à me promotis, imò verius execratis (vt præmittitur) conuersationem aliquam non habebo, nec eis præstabo aliquod consilium, auxilium vel fauorem: petens humiliter & deuotè me per vos pater sanctissime, non attentis meis excessibus & sceleribus grauibus, sed sola dei misericordia, cuius estis verus & vnicus in terris vicarius, ab omnibus pœnis & sententiis iuris & hominis, quas propter præmissa vel eorum singula seu aliquod eorundem incurri, absolui, & vnitati reintegrari & reincorporari ecclesiæ sanctæ dei, paratum me offerens omnem pœnam siue pœnitentiam, quas mihi pro præmissis iniungendas vel imponendas vestra sanctitas duxerit, cum omni obedientia sustinere, & etiam adimplere. De quibus omnibus & singulis suprascriptis ad æternam rei memoriam pro salute mea & publica, peto vnum & plura, quotquot erunt expedientia, fieri publica instrumenta.

Nos verò considerantes, quòd ipsum P. ad conuersionem huiusmodi non induxerit violentia aliqua,

qua, ſed timor dei, ſpontaneaq́; voluntas: necnon ꝙ eius contritio videtur probabiliter eſſe vera, tum ex eo quod in præmiſſa ciuitate Piſana & ad nos veniendo in multis ciuitatibus & locis prouinciæ publicè, & hic etiam in curia tam in publico conſiſtorio quàm priuato non erubuit confiteri: nec ad noſtram ſpontè prætermiſit venire pręſentiam pro gratia humiliter & deuotè ac miſericordia impetrandis: tum etiam, quia paratum ſe obtulit atq; offert quæcunque ei iniungenda duximus adimplere. Vt partes noſtri officij exequamur, eiuſque actibus (cuius vices gerimus in terris) noſtros conformemus prout eſt nobis poſſibile, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed vt conuertantur & viuant: de fratrum noſtrorum conſilio, abſolutionem & reincorporationem prædictorum archiepiſcopi Piſani & Lucanenſis epiſcopi ratas habētes, ac etiam confirmantes: Nihilominus ipſum Petrum ad noſtram & eccleſiæ reſtituentes gratiam, abſoluendū duximus & reincorporandum ſanctæ dei eccleſiæ vnitati ſuper irregularitatibus, quas propter præmiſſa cōtraxit ſeu aliqua præmiſſorum: cum eo nihilominus diſpēſando ordinationem & declarationem pœnitentiæ dicto Petro, pro præmiſſis & eorum ſingulis (prout quādo & quotiens expedire videbitur) imponēdæ nobis ſpecialiter & expreſſè nihilominus reſeruantes. Nulli ergo hanc paginā noſtræ annotatiōis, ratificationis, confirmationis, abſolutionis reſtitutionis, reincorporationis, diſpēſationis & reſeruationis infringere liceat &c. Datum Auinione. 8. Id' Septē. Pontificatus noſtri Anno. 15.

His omnibus ad iuſti iudicij trutinam rectè cōpenſatis,

pensatis, quis credat apud se fuisse Lutheranæ factionis assertores, cùm illis primùm venit in mentē, nedum non esse timendam excōmunicationem, imò verò expetendam, atque ideo obuiis vlnis excipiendam? Quis enim audebit dicere, Christum vel perperā vel ridiculè fuisse comminatū, dum ait, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus? Ridet autem, qui absterret ab eo, quod grato animo iure excipi debet. An stupidus erat Paulus, qui in Thessalonicensibus iubet inobedientem arceri à communi actuum legitimorum consortio, vsquedum confundatur is, qui verbo non obtemperat? Atqui stupidum foret, ex aduentu rei gratæ & iucundæ expectare cōfusionem. Qui & ipse in Corinthiis at: Auferte malum (hoc est, scelerosum) ex vobisipsis. Rursum: Quis iure expetat tradi Satanæ, quem non pigeat aut pudeat communibus ecclesiæ priuari suffragiis, ac congressibus legitimis? Qua de re ita Augustinus in canone.11.quæst.3.Nihil. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enī separatur à corpore Christi, non est membrum eius. Si non est mēbrum eius, non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem (inquit Apostolus) spiritum dei non habet: hic non est eius. Et cap. Omnis Christianus (ait ille) dilectissimi, qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? quia scilicet extra ecclesiam diabolus est: sicut in ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo tradit, qui ab ecclesiastica cōmunione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excōmunicatos à se esse demonstrat. Hæc ille. Quasso igitur & stupeo

tel•

telo terruerat Corinthios Paul⁹,qui secūdæ.7.ait: Quoniā etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet,gaudeo,non quia contristati estis,sed quia cō tristati estis ad pœnitētiam. At nihil opus erat cōtristatione, si grato animo excipienda fuisset excōmunicatio. Quid autem periculosius est excommu nicatione,per quam non peccator tantùm,imò verò desertor impius cēsetur excōmunicatus: qui errat, non sicut diuertens ouis, sed sicut ouis quæ periit. Nam & fera bestia,quæ ita feritatem induit, vt animum desierit habere redeundi,statim efficitur occupantis, iamiamque dæmonis familiæ adscribenda:Peccator,ficulnea est sterilis,sed nondum extra culturam posita. Excommunicatus verò naturam sapit arboris,cui Christus ita maledixit, vt nullus subinde aut viror aut fructus prodiret: saluo tamen,sed ægrè & rarenter,superabundante in omnibus diuino fauore. Hæc autem traditio satanæ hodie signo visibili caret,nihil tamen minus spiritualiter operatur: quemadmodum & dona olim spiritussancti externis etiam sensibus obuia apparebant, nunc autem suam vim atque energiam spiritualiter exercent.

Obstrepunt nihilominus improbè mordaces hæretici(vt semper matris pia viscera rodere tētant) dum statuere conantur excommunicationis ferendæ facultatem in vulgi etiam potestate esse constitutam, ignorantes prorsus aut quæ loquuntur, aut de quibus enunciant.Constat certè ex legitima scri pturæ serie,geminam esse ad exerendum excommu nicationis gladium viam.Priorem sumi ex euangelico Christi mandato apud Matthæum.18.Ea est via

denū-

denunciationis euangelicę,qua(vti illic cõtinetur) legitimè obseruata,tandem deuoluitur extrema po testas ad ecclesiam: resoluiturque, perpetuo eius consensu,iureq; præscripto,ad ipsius ecclesiæ proceres: qui scilicet in hoc instituti sunt per ecclesiã, vt nihil omittant eorum quæ ad excommunicationem legitimè ferendam præexiguntur. Ad id enim munus exercendum magna opus est & eruditione & authoritate. Et ob eam causam diuus Chrysosto mus in verbo(dic ecclesiæ)sensum proferens catho licũ,ecclesiæ nomine præsules intelligit, à summis pontificib⁹ atque ab vniuersa demũ ecclesia in hoc opus designatos: & id quidem de iure iuxta ecclesiæ interpretationẽ non tam humano quàm diuino. Desinant igitur frustra oblatrare canes impudentissimi,& vsurpare id quod est alieni iuris. Id enĩ fuerit sanctum dare canibus, & seminare margaritas antè porcos,dum aiunt potestatem ferendę excommunicationis omnibus esse cõmunem.

Aliam præterea formulã Paulus attigit: quam nemo(nisi refractarius) dicere possit humanũ esse commẽtum. Ea est via ordinariæ inquisitionis, quæ exercenda est aduersus publica crimina: quæ aduer sus dei honorem committũtur,aut in Reip.pacificũ conuictum. Hanc præscribit diuus Paulus de fornicatore publico priore ad Corinthios. 5. Auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes. Moxq; sequitur: Tollatur de medio vestrum,qui hoc opus fecit. Nescitis, ait,quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Vult autem inquiri,qui alio lo co ait: Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus,aut idolis seruiens,aut maledicus,aut

cus, aut ebriosus, aut rapax: scripsi, inquit, vobis nō commisceri cum huiusmodi, nec cibum sumere. Cui alludit idem in Thessalonicensibus posterioris epistolæ cap. 3. Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè: qui si non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate. Ex his verbis colligit Augustinus (& id quidem appositissimè) opus esse inquisitione præuia: ad quam legitimè exercendā, nemo, nisi qui præest, idoneus fuerit: cui vni, non vulgo, parendum est, aut his, quos in hoc opus ipse commiserit. Vides ex iure diuino censuræ ecclesiasticæ mucronem vibrari legitimè non posse, nisi eorum ope & opera qui spiritualib' pręsunt. Alioqui nemo est bonus iudex eorum quæ non nouit, aut qui iudicij ferendi auctoritate caret. Vt enim ille ait: Helleborum ęgro non audet, nisi qui didicit, dare. Quæ medicorum sunt, curāt medici: tractant fabrilia fabri. Valeant igitur ordinis ecclesiastici euersores: Et deum saltem timeant, si homines non reuereantur: sciantque ista non esse hominum nuda cōmenta, sed diuinæ potius scripturæ non dissimulāda placita. Hactenus de hoc theoremate.

Theorema octauum.

ID quoque ad enucleandam vim gladij secularis pertinet: Tantine æstimanda sit edicti legalis potestas, vt compellat nocentem nondum plenè probatum ad crimen, super quo inquiritur, detegendum? A plerisque in hunc vsq; diem dubitatū est, quatenus sui alienive criminis conscius, aut etiam particeps, interpellanti iudici aut propriū, aut sociale crimen prodere teneatur: vt inde publicæ tranquillitati consulatur ac saluti. Cui hæsitationi

aut finē, aut modū nōdū ad plenū imponere potuit priorum, qui super ea re censuerunt, aut turba, aut authoritas. Sed nec huius quæstionis ambiguum radicitus euelli, nec vno falcis iactu resecari facilè potest: proinde selectis & serie quadam sibi succedentibus sententiis excutiendum euellendumq́; est. Esto igitur in ea re primarium istud effatum:

Dum quis pernicioso ac reipublicæ noxio crimi ne etiam vsque ad infamiam (quam clamorosam insinuationem appellant) quæ apud viros probos & graues notam inurit, vehementer laborat: aut cuius iam manifesta in lucem prodierint indicia, vtpote testium sed singularium testimonio vallata, quæ nō solùm crimen sed authorem criminis indicant. Eo inquam casu criminis conscius, præsertim à iudice ex officio adiuratus, seipsum accusare tenetur: alioqui ex cap. Inquisitionis. de accusationib. cùm nullus puniendus sit de crimine, super quo non laborat infamia, facti etiam notorij reus seipsum minimè prodere tenetur. Huic sententiæ subscribit cardinalis Caietanus in diuum Thomā. 2. 2. quæst. 69. vno & altero articulis. Neque enim iudicandus ante tempus, donec venerit dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: sed neque notorium factum protinus suum traducere compellit authorē, incertum alioqui & non satis exploratum. Nec huic aduersatur diuus Gregorius in cap. Quidam maligni spiritus. 5. quæst. 1. qui non iubet, vt se reuelet & prodat, qui clàm libellum famosum à se editum protulerat. Tantùm hoc exigit, vt vel obiecta probet, vel certè honesto quodam temperamento immissam aspergine veluti spongia abstergat: aut

sciat

sciat sibi sacris iure esse interdictum, seque censura innodatum. Eam tamen euasurus, si qua alia via læso satisfacere possit. At vbi iniectam alteri infamiam depellere non posset, nisi propria recantatione: palinodia illi certè opus est, quando aliena iactura, quam iste per iniuriam intulit, alia via sarciri non potest. Nos autem de alio crimine loquimur, cui nulla competit restitutio famæ.

Vt ergo eò, vnde digressi sum', reuertamur: vbi grauis præcesserit infamia, aut indicia manifesta, quę suspectū authorē vehementer reddere possint: iussus reus & adiuratus seipsum prodere tenetur accedente etiam semiplena probatione, quam testis etiam vnus omni exceptione superior efficere potest. Testem dico, non delatorem secretum, sed iuratum, criminis minimè participem, & eum quidem oculatum. Sic enim testis erit semiplenè probans. idque eo potissimum euentu, vbi res ipsa publica graue & aliâs ineluctabile detrimentum pateretur, nisi in lucem venirent authores conscijque criminis. Vt cùm innumeri Rempubli. circunueniunt prædones, aut exhauriendæ adulterinæ monetæ nullus accedere possit aur finis, aut modus, nisi reuelentur authores; eo vtique casu criminis participes prodere debet interrogatus à iudice sceleratus.

Contrarium tamen persuaderi posse videtur, ex eo quod scriptum est Deuteronomij. 19. Non stabit testis vnus cōtra aliquē, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorū vel trium testiū stabit omne verbum. Si igitur sub vno teste etiam semiplenè probante nocens succumbere nō debeat,

r ij & con-

& confeſſione ſua accedente in eum nullæ ſunt iudicis partes niſi in condemnando: non videtur iure cogi poſſe ad confitendum crimen, aliâs caderet ſub vnius teſtis teſtimonio. Reſpondetur nihilominus eum ad profeſſionem teneri, ſi adiuretur: aliâs iniuriam inferret teſti iuſtè deponenti eum in ſimulando falſitatis, & iudici Reſp. conſulere volenti ad repellendum publicum periculum, & ſedandum ortum ſcandalum: in quo nemo dubitare queat, dum agitur ad pœnam ſpiritualem. Vbi verò extremum ſupplicium imminet, acrius vrget textus ſcripturæ citatus. Cui ſatisfieri poſſe videtur, quòd non ad ſolius teſtis depoſitionem nocens iſte ſuccumberet, cùm ſua confeſſio accedat, & præcedens infamia, & clamoroſa inſinuatio. Videtur autem huiuſmodi controuerſia ita poſſe conciliari ac ſedari, quòd vbi non agitur de imminente periculo Reipub. ſed tantùm de morte auferenda nocenti ſemiplenè probato: eo caſu non teneri nocentem ad confitendum crimen, ſed expectandũ eſſe plenum ſu per ea re teſtimonium. Hoc enim eſt, quod dominus per Moyſen iubet. Nec deerit huic inficiatori occaſio abſtergẽdæ iniuriæ, quę imminere videtur probo teſti ſemiplenè probanti. Dicere enim poterit, nihil ſe habere quod ei improperet: & credere eum ex zelò quodam flagranti potius quàm ex calumnia, ex præcedenti rumore in hanc teſtificationis arenam deſcendiſſe. Hoc dicens, ſeipſum liberabit ab imminenti mortis periculo, & teſtem á contumelia & opprobrio. Verùm vbi ob defectum veritatis cognitæ immineret futurum Reipub. periculum, aut aliter reparari non poſſet alteri illata iniuria: eo caſu

eo casu diceretur semiplenè ꝓbatū adiuratū super veritate dicēda, omninò obligari ad agnoscendam culpā cùm vita vnius priuata iure etiā naturali cedere debeat necessitati publicę. Et hic est casus, quo nocens se suosque cōplices reuelare tenetur, vt euitetur periculum Reipublic. imminens: cùm nulla sit emendationis spes, quin morbus ille vt cancer serperet. Huiusmodi itaque criminosum inducere debet quisquis conscientiæ eius periculū in se recipit, ad reuelandū crimē Reipub. perniciosum: alioqui propriā conscientiā pari cum nocēte periculo inuoluit. Huc spectat Ciceronis oraculum lib. Officiorum. 3. ad hunc modum percontantis: Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater: silebit ne filius? Imò verò obsecrabit patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit: minabitur etiam ad extremum, si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Nihil igitur mirum videri debet, si authore domino & vindice Achan filius Achor seipsum prodere iussus sit, dicente Iosue. 7. Fili mi, da gloriam domino deo Israel, & confitere: & indica mihi quid feceris, ne abscondas. Neq; enim latere poterat author sceleris, domino iubente inquiri, viāq; aperiente qua deprehēdi posset inquisitus. Quin & ab ipso Cain sui criminis exegit confessionem is, quem nihil latere potest. Crimine iam patrato hoc ipsum exigens à Dauid super adulterio commisso. Qui cùm sit dominus vitæ & necis, nemo potest ei dicere, cur hoc agis? Diuerso tamē exemplo Iudam nec prodere nec prodi voluit, nondum patrato scelere. Hoc autem egit ex abundantia suæ pietatis,

cuius sola volũtas nobis debet esse ꝓ causa. Alioqui in pari casu reuelandus esset, qui in suo crimine aliâs esset perseueraturus pro tuenda vita innocentis. Sed ita oportebat impleri scripturas. Ex his tamen, quæ dicta sunt, nemo colligere poterit lege principis affici cõscientiã subditi: nisi interuenerit aut diuini iuris aut naturalis, quæ sola animum afficere potest, obligatio.

Aliud effatum.

Quoties reus seipsum accusare tenetur, idẽ & criminis participes eodẽ astrictos vinculo, pari obligatiõe exigẽti ex officio iudici reuelare debet. Neq; enim aliis plus est obnoxius, quàm sibi. Sed nec sociale fœdus etiam iuramento firmatum de non reuelando communi crimine, huic silentiario patrocinari potest. Nam sigillum secreti etiam iuramẽto vallatum, neminem obligat in detrimẽtum Reipublicæ. Neque enim tam iuramentum est, quàm periurium: vt cui deest fida comes iuramenti iustitia. Nam si iurandum est: in iustitia, iudicio, & veritate iurandum. Quoties igitur imminet multitudini, aut certè proximo, ex coniurato crimine corporis vel animæ periculum, nisi mox coniuratio reueletur: non obstante sociali iuramento, reuelandum est scelus, & ęnse resecandum facinus, pars ne syncera trahatur: Quod præsertim locum habet apud coniuratos, ac Reipub. noxios, crimine publico laborantes: vt sunt pseudomonetarij, quorum virus vt cancer serpit in omnes, aut prędones ex cõposito adornati. Qui nisi reuelentur, in longum tempus perdurabit semel conflatũ incendiũ: præsertim quãdo inchoatum &

tum & patratum ſcelus eſt, in præſens & in poſterū perniciosum. Nec eſt in cōſciētia tutus, qui ſecreti ſe conſilij ducem facit, quem nos confeſſorem appellamus: niſi (quoad poteſt) eò nocentem perducat, vt huius criminis conſcios denunciet, quando ſcilicet non alia paratur via reipublicæ ſalus & tranquillitas. Quòd ſi nullum imminet ex patrato ſcelere Reipub. incommodum, criminis participem nondum diffamatum minimè prodere debet: ſed in hoc maximè eniti, vt probi cuiuſpiam monitu interueniente ad reſipiſcentiam inducatur, & ad iniuriæ latæ ſatisfactionem (quoad vires ſuppetent) prouocetur. Ex his abundè conſtat, vſquequo extremis addicti ſuppliciis aut ſeipſos, aut criminis conſcios, vel prodere debeant, vel celando tegere: interim adhibita cautione, ne quis de vno crimine diffamatus, ſuper aliorum inquiſitione torqueri debeat. Nam ex cap. Inquiſitionis. de accuſationib. inquiri tantùm oportet ſuper his, de quibus clamores præceſſerunt. Adhibenda nihilominus Hæc pro cautione formula, ac pro canone habenda eſt: quòd vbi quis tenetur accuſare, & ipſi conſcij teſtificari tenentur. Eſt igitur modus in rebus, ſunt certi denique fines: quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quid autem in vetando permittendòve duello valeat principis authoritas, nō abs re hoc loco fuerit inquirere. Eſto igitur primum ad id inueſtigandum pronunciatum.

Non quemadmodū iure belli licitè gladius exeritur, ita & iure duelli: tametſi in ſpeciem parum diſtare videatur, an plures cum pluribus, an vnus

cum vno confligat. Si tamen à prima origine repetatur duelli ratio: nihil monomachia in orbe sæuius aut immanius, quodque magis feritatem sapiat facilè deprehendetur: ita vt humanitatem prius exuat monomachus, quàm vitam. Moritur igitur vt fera, posthabitis humanitatis legibus. Ortum siquidem duellum Petrus Montius maxima ex parte refert ex theatrali vsu, quo cum bestiis viles iuxtà ac pestilentes personæ confligere cogebantur. Dixisses feras bestias ad inuicem committi. quasi verò sit par congressus hominis cum belua. Demumque eò deuentum est, vt quod mutuò feræ facere solēt: homines ipsi, etiã (si superis placet) Christiano nomine insigniti, gladiatorium hoc munus magna cũ laude (vt falsò existimant) exercere non vereantur extremo animarum suarum & eorum qui huic tam diro negocio præsunt, mortis æternæ periculo. Hodie enim magno religionis incommodo & contemptu suscipitur duellũ, vt veritas occulta reueletur, sciaturque iuréne an iniuria gladiator vnus alteri crimen obiecerit & imputauerit. Id quod maximè blasphemum est, & diuinæ sapientiæ prorsus iniurium. Quis enim tam mentis inops, vt diuinam maiestatem in ius vocare audeat continuò declaraturam, vter duellãtium nocens esse dignoscatur? cùm his votis minimè se obtēperaturam apertissimo oraculo dominus declarauerit per Ezechielē his verbis, cap. 14. Fili hominis, viri isti posuerũt immũditias suas in cordibus suis: & scãdalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam. Nunquid interrogatus respondebo eis? Quasi dicat, Nequaquã. Quin potius quod timet impius, incidet super eum.

eum. Mox enim ſequitur: Ego dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, vt capiatur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt à me. Et ſequitur: Ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exēplum & in prouerbium, & diſperdam eum de medio populi mei. Lōgè igitur abeſt à ſuſceptione oraculi diuini, qui illud blaſphemando contemnit. Neque id mirum, cùm ſpiritus ſanctus auferat ſe à cogitationib⁹: quę ſunt ſine intellectu, & corripiatur à ſuperueniente iniquitate. An non hoc ipſum vetat, qui ait: Nolite iudicare ante tempus, donec venerit dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarū, & reuelabit occulta cordium? Siccine ſententiam ferent impij homines ſuper his, quæ dominus ſuo reſeruauit iudicio? Propter quod idem per Ezechielem. 20. cap. ſic ait: Nunquid ad interrogādum me vos veniſtis? Viuo ego, quia non reſpondebo vobis. Et rurſum: Vos polluimini in omnibus idolis veſtris vſque hodie: & ego reſpondebo vobis domus Iſrael? Viuo ego, dicit dominus deus, quia non reſpondebo vobis, neque cogitatio mentis veſtræ fiet. Sacrilegū eſt igitur lege duelli abſtruſam & occultam eruere velle veritatem, & non ſolùm his qui agunt, ſed & his qui agētibus aut præſunt, aut cùm obſtare poſſint conſentiunt expreſſo tacitóve conſenſu.

Sed quid pluribus opus in huius ſacrilegi erroris confutatione? cùm experientia ipſa conſtet pugiles impios à domino irrideri, qui ait: Ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo: cùm id quod timebatis, acciderit vobis. Notiſſimum enim eſt nōnullos ſub iuſto clypeo periiſſe, & poſt cædem innocentis

nocentis

nocentis fuisse deprehensum authorē sceleris. Qui igitur hui⁹ duelli author fuit, quid aliud quàm immane parricidium commisit vir ipse sanguinarius, & sanguinis effusor innocentis?

Præterea experientia compertum est, duellis sibi pro eadem causa succedentibus, ex vtraque parte pugiles succubuisse: cùm tamē penes vnam partium iusta causa fuerit. Sed rectus est dominus, & rectum iudicium suum: qui etiam in ea parte innocentes ex alia causa iustissimè punit. I nunc, & expecta (nisi prorsus insanis) te deprehensurum in fine duelli, vter nocens fuerit, aut innocēs. Nunquàm igitur licet Christiano quemquā prouocare ad duellum (nisi cui affulserit numinis afflatus, qui Dauid aduersus Goliath non defuisse intelligitur) vix etiam si conuersio fiat belli alicuius atrocissimi in singulare certamen. Hoc enim foret ius patriæ vniuersum expponere incertæ aleæ personæ vni⁹. Quis enim scit hostes non redintegraturos bellum, etiam suo pugili victo? Aut quis nouit victoriā ab ea parte staturam, quæ verum ius habeat? Quare omnino prouocare non licet: sed nec oblatum certamen suscipere etiam ob famam suam suorúmve tuendam. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur: se autem ipsum perdat, & detrimētum sui faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. Non tamen deest methodus conseruandæ famæ, tacendique nominis, præsertim apud viros prudentes & cordatos. Vt si dicat prouocatus ad duellum, se velle inniti consilio virorum iuris vtriusque peritorū, diuini scilicet & humani: à quorum mentibus procul absit timor omnis, pauorque

munda-

mundanus:& ante quorum oculos sola obuersetur dei & sanctorum reuerentia. sicq; tutus euadet à fucati dedecoris iniuria. Nũquam enim fiet, vt huiusmodi appellanti iudices ita desipiant, vt consentiãt in sacrilegum hoc certamen.

Sed neque pro vindicanda iniuria accepta singulare istud certamen ineundum est, cùm neget author vitę & necis id fieri oportere. Iam ergo se reũ mortis constituit, qui in alterum ob eã causam vindictã sanguinis exercet. Vetat enim dominus, cùm ait: Mihi vindictam, & ego retribuam. Ideoque ita edixit diuus Paulus: Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ. Quin & dominus exemplo suo nos docuit: cui cùm obiiceretur, quòd Samaritanus esset, & dæmonium haberet: satis habuit suã innocentiam tueri his verbis: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Verùm, inquit, nõ quæro gloriam meã: est qui quærat, & iudicet. Neque dixeris hoc tantùm esse sub consilio: cùm expressis verbis vetet dominus quemquã interfici, nisi sub iudice legitimo, idoneisque testibus, & dicta prius ac edicta vtrinq; causa. Quocirca impia est Friderici imperatoris sanctio de pace tenẽda, & eius violatoribus lib. vndecimo .§. Si quis hominem. qui iubet hominẽ interfici, qui alium se defendendo occiderit, nisi suũ factum duello purgauerit. Sãguinarium est huiusmodi edictum, non lex.

Tu verò mihi vide, quænam sint vlcerosæ huius legis malæ sana capita: quorum tanta est imbecillitas, vt mox audita refutari possint.

Si quis (aiunt illi) commilitonum ab altero audierit,

dierit, se viribus illi esse imparem: suscipiendi duelli ius illi esto. Hæc lex si de mortifero duello intelligatur: nihil in se habet, vnde legis nomen mereatur. Neque enim quis mortem statim meretur, si alteri virium imbecillitatem opposuerit. Nunc audi & aliam non impari nota laborantem.

Si quis audierit, sum melior te: debellandi eum ius esto. Quasi verò null⁹ dici debeat perditissimo ac immanissimo carnifice melior.

Si quis ab altero audiat, rem non ita se habere vt dicit: iure aduersus eum gladium euaginato. Quasi vero sine nota mendacij nemo possit falsum dicere, cùm tamen scriptum sit: Omnis homo mendax. nec cōtinuo mentitur, qui quod falsum est pronunciat, sibi tamen bene conscius. Huius farinæ est, quæ mox sequitur, institutio:

Si quis alterum accuset sceleris, suā causam ense defendito. Cùm tamen potius debeat testimoniorū suffragio, quàm vindictæ furore, causa terminari. At testes, inquies, deficiunt. Audi igitur Paulum dicentem:

Nolite iudicare ante tempus. Alioqui satius est nocentem absoluere, quàm innocētem in monomachiæ angustias detrudere.

Iam quæritur, an huiusmodi pugil vi cōpulsus, duellum licitè in se recipiat, etiam si iudex ad id iniustè compellat: & qui prouocat, prouocet iniustè? Hic certè vn⁹ casus est, in quo duellum iustè suscipitur: tametsi proponatur iniustè á suo riuali, & iniustè statuatur à principe. Tunc enim vim vi repellere licet, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vbi aliâs nō patet euasio: Nunq̄ igitur iustè prouocatio fit

catio fit ad duellum, neque ad veritatem eruēdam, neque ad repulsandam iniuriam, nisi inspirāte deo: vt cum Dauid actum esse creditur. Iustè tamen suscipitur eo, qui nunc se offert, casu. A principe autē nunquam sine culpa permittitur, nisi dū fortè prohibere non potest: & in casu denegationis immineret seditio patriæ perniciosa, viris vtrinque fortissimis duellum hoc improbè exigētibus: qui nisi audiantur, patriam cæde & sanguine impleturi sint. Aliâs impunè nunquam monomachiā fieri permittet princeps.

Hęc fortè causa esse potuit, cur Dari' illæsa forsan conscientia, vtpote à satrapis compulsus, velamine quodam publicæ legis Persarū, vt Daniel mitteretur in lacum leonum, cûm videret se in resistēdo imparem, speraretq; auxilium Danieli in pia causa è cœlo minimè defuturum. Alioqui eò grauius peccat princeps: qui cûm duos à morte liberare possit, vtriusque sanguinem in se recipit. Quiq; sua authoritate prohibendo duellum, partium dedecus & ingloriationem facilè auellere & amoliri poterat: quibus auulsis radicitus, euellitur singularis occasio certaminis.

Nec id facilè persuadetur, bellum iustum resolui posse in duellum ab eo, qui iustā causam tuetur: cûm videt se tenuitate virium in bello esse imparē, cûm longè superet numerus hostiū. Eo casu, si euētum suscipiat singularis certaminis: impunè aut innoxiè id fieri posse videt, ne scilicet plures pereant, & vt vnum pro multis caput opponatur. Aequior enim speratur congressus futurus vnius aduersus vnum, quàm paucorum ad plurimos. Id quoque nihil aliud

hil aliud est, quàm eo moderamine, quo possis, vim vi repellere. Et hic est casus, in quo non suscipi tā-tum, sed & prouocari possit duellum: modò ne ea mente suscipiatur, vt inde certa eliciatur veritas: sed in hoc tantum, vt quod minimum malorum est (quando aliud fieri non potest) eligatur.

Cæterùm extra hos euentus singulares, tam iniquum est inire duellum, quàm non licet vsurpare diuinum iudicium: vt aut eruatur occulta veritas, aut de nocente vindicta sumatur. Nam tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit, non nisi iustis puniendus legibus, vtpote dicta causa sub iudice legitimo. Impia autē duelli placita lex diuina refutat & execratur, vetans ne moriatur vir vnius testimonio, sed in ore duorum vel trium stet omne verbum. Nec satis fit dixisse vtrunque pugilū ex notoriis alioqui criminibus promereri mortem. Nam etiam apud nocentem lex Christiana decernit locum pœnitentiæ: vt non, nisi sedatis passionibus, tranquilla mēte hinc abire possit nocēs. Quod fieri non potest, si in mediis vulneribus altera partium succumbat, dum nihil nisi vltionem & sanguinem pars vtraque meditatur. Hoc enim debet Christianus proximo, quod Samaritanus præstitit viro saucio ac semimortuo, qui incidit in latrones. At nihil minus cogitant hi duo pugiles, qui suis inuicē ceruicibus imminent. tātùm abest, vt proximi partes agant alter in alterum. Christus tamen imperat, dicens: Vade tu, & fac similiter parem scilicet misericordiam, quam Samaritanus seminecì vulnerato exhibuit. Vehementer ergo fallitur, qui existimat inter duos etiam nocentissimos admitti posse duellum:

duellum: nisi ad vitãdam forsan (quam, qui præest, vitare non posset) in toto exercitu seditionẽ, vt vnũ pro multis detur caput. Quare minimè probanda est sæuissima illa ossium confractio, membrorumq́ dilaniatio, quam rotariam pœnam vocãt, vel ob id maximè, quòd diuturno ac vehementissimo lãguore obrutis vix superest pœnitẽtiæ locus. Non damno iustam pœnam nocentis, modò ne pręsentissimũ adferat impedimentum saluti animæ: desperationis inquam ex atrocitate pœnæ prodeuntis.

Denique solem facibus illustrare contendit, qui ea vsurpat, quæ diuino reseruata sunt iudicio. Et priuilegia paucorum non sunt trahenda in legem. Si igitur nec ipsi innocẽti licet tueri propriam innocentiam etiam susceptione duelli: quanto minus nocenti licebit suã velare iniquitatem? Sed nec honoris causa tuendi, tanti apud Christianum esse debet: vt innocens extremum subire debeat periculũ, imò neque nocens, cui lege diuina permittendus erat pœnitẽtiæ locus, cùm dominus dicat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur magis, & viuat. Hoccine est scandalum obiicere fratri casuro, & offendiculum ponere cæco? Vnde & Paulus in Romanis ait cap. 14. Hoc iudicate magis, ne fratri ponatis offendiculum. Et rursum: Noli illum perdere, pro quo Christ⁹ mortuus est. Tu igitur quis es, qui vis mori impœnitentem, quem dominus ad pœnitẽtiam vocat? Pereat igitur lex impia: & super omnia vincat pietas, ac diuinæ legis æquitas.

Post omnia vides legem principis nec inducere posse peccatum in conscientia, sed nec eam quocũque iussu aut edicto à peccato liberare posse, etiã si

subeat

ſubeat duellum ſuſcipi: niſi interueniente lege naturæ, qua ſeruato inculpatæ tutelæ moderamine, vim patiens vim aliã repellere poſſit. Nolite (Chriſtus ait) eos timere, qui occidũt corpus: & poſt hoc non habent, quod faciant. Cui honor, & gloria in præſens & in poſterum nullo ſæculorum claudenda volumine.

NVNC quando de vi repellẽda quæſtio oborta eſt: in eo argumento verſari non prorſus extra rẽ fuerit. Super quo eſto proximè ſequens theorema inter præcipua & capitalia ordine nonum.

Theorema nonum.

PRimum illud excutiendum occurrit, qua mẽte, quóve intellectu excipi debeat verbũ Chriſti Matthæi quinto: Ego dico vobis non reſiſtere malo. Nunquid igitur ex hac ſententia colligendum eſt omnino ceſſare vſum gladij licitum? an exiſtimandũ illud conſilij vim potius habere quàm præcepti? Ambiguum iſtud ex his, quæ mox dicenda ſunt, facilè abſoluitur. Primùm enim conſtat diligendum proximum ſicut nos ipſos: cuius nomine etiam inimicus cenſetur. Quo fit, vt diuino præcepto adſtringamur non reſiſtere malo nomine vindictæ. Vindictam appello, cũ nihil aliud quàm pœna expetitur, etiam citra ſpem rei noſtræ recuperãdæ, aut iniuriæ imminentis repellendæ. Hanc vindictam appetere nemini licet priuato. Huc ſpectat illud Pauli ad Romanos. 12. Non vos vindicantes chariſſimi, ſed date locum iræ. Ira enim eſt, quæ tẽdit ad vindictam. Alioqui non ira eſſet, ſed ratio: ſi huc tendat, vt ſe quoad poſſit, reddat indemnem. Huc etiã pertinet illud eiuſdẽ: Noli vinci à malo,

ſed vince

ſed vince in bono malũ. A malo enim vincitur, qui ex mali impotentia iniuriam retalians vindicta delectatur. Ceſſandum itaque eſt à vindicta ex præcepto diuino, non ſolum vt non inferamus iniuriam, imo vt non ceſſemus ab auxilio indigentis inimici. Nam qui ſubtrahit auxilium, dum poteſt, & charitas requirit: impingit etiam in præceptum diuinum. Non enim diligit proximum ad veræ charitatis amuſſim ſicut ſeipſum. Præcepit enim domin' per Moyſem: Si videris aſinum odientis te iacentẽ ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Vnde reducere errantem, & auxiliari oppreſſo: cõmunia ſunt humanitatis obſequia, etiã inimicis exhibenda. Denique ſubleuanda eſt omnis neceſſitas, ſi tempus id poſtulat & res. Quo iubemur non ſolum non inferre malum, ſed ne ceſſemus à bono accedente opportunitate. Malo enim reſiſtit, & qui retaliat, & qui alienæ neceſſitati ob acceptam iniuriam ſuccurrere ceſſat. Hoc eſt quod diuus Paulus ait: Si eſurit inimicus tuus, ciba eum: ſi ſitit, potum da illi. Quod quidem præceptum eſt affirmatiuum pro tempore opportunitatis obligans, dum vt id fiat, charitas vrget. Et ad hoc ſemper debet eſſe paratus animus: vt non ſolùm nihil contra charitatem agatur, verùm potius velimus (ſi negocium euangelicum, aut charitatis ratio id poſtulat) etiam eadẽ pati vel grauiora: vt res fidei vel charitatis incolumis, aut etiam auctior ſuccedat. Et hæc præparatio animi nunquam abeſſe debet etiam ſub præcepto, ſi ad hoc charitas vrgeat. Aliâs manet ſub conſilio, ſi hoc tantum vtile, non neceſſariũ eſſe ratio recta iudicat. Nec tãti apud nos eſſe debet acceptæ iniuriç

memoria, vt vel ex vindicta pœnã vllam inferre velimus, aut in suis necessitatibus inimico deesse. Hoc est quod per Moysem dominus ait Leuitici.19. Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuiũ tuorum. seu vt Hebraica lectio habet: Non vlciscaris, neque obserues iniuriam contra filios populi tui. Quam obseruationem Hebræi factam intelligunt, quoties in memoriam denegati obsequij alius vices repẽdere cupiens simile officium petenti denegat. Hoc inquam non licet, peccatũq; est: si ex data occasione necessitas charitatis alio inducit. Nõ quòd obliuio præcipiatur: sed tantùm vetatur memoria, quæ nos ad retaliãdam iniuriam inducat. Huc vsq; igitur sese extendere videntur limites huius præcepti: dico vobis nõ resistere malo. Hoc loco qui dicunt esse hyperbolen, seu transcendentiam quandam: eatenus audiẽdi sunt, si velint, his verbis vltra præceptum etiam subesse consilium. Cùm enim hæc verba præceptiua esse videãtur: eò tamen vsq; progrediũtur, vt impleri possint etiã citra obligationẽ: dum scilicet non tam vrget, q̃ suadet charitas. Hoc enim est transcendere præceptum, dum quis vltra id quod tenetur, ad patientiam se adstringit: vt vel sic furẽtis inimici feruorem extinguat, & cordis duritiem emolliat: quãdo aliâs nulla vrget necessitas. Tunc quod facit, de consilio est: ita vt etiã citra noxam omitti possit. Quod autem fit, ad perfectam magis q̃ necessariam pertinet charitatẽ. Istud enim vt perfectè exhibetur, ita & sine culpa quandoq; omittitur. Sic Christus percussus in vna maxilla, durè Malchum percutientem redarguit. Idẽ tamen alio loco præbuit maxillas percutientibus, & genas vellentibus.

lentibus. ſuo facto apertiſſimè docēs huiuſmodi opera ad conſiliū ſpectare,& quandoq; omitti, quādoq; præſtari poſſe. modò ſemper ſimus in eam rem animo parati, vt nunquam lædatur charitas: ſed potius dura ſubire velimus, quàm ab ea recedere. Tātiſper enim iubemur non reſiſtere malo, ne ſcilicet à malo vincamur. Nunquam enim reſiſtendū eſt malo vſque ad vindictam: verùm licuit, ſemperque licebit reſiſtere malo quoad ſui ſuorúmve defenſionem, ne ſcilicet aut imminentem iacturā ſubeamus, aut vt acceptum recuperemus incommodum: modo ne negocium euangelicum, aut charitas, in vlla re lędatur: & abſit puſillorum ſcandalum. Nam ſi ſcandalum tantum Phariſæorum occurrat, prorſus negligendum eſt. Sic Abraham pro cognati ſui defenſione arma ſumpſit, & poſt victoriam à Melchiſedech benedictus & laudatus: Scriptū enim eſt: Vſq; ad mortē certa pro iuſticia. Et illud, Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitū, liberare ne ceſſes. Atq; etiā illud: Non ſtabis iuxta ſanguinem proximi tui. Sic & vim vi repellere omnes leges & iura permittunt: non quidem ad vindictam, ſed defenſionem inculpatæ tutelæ, moderamine ſeruato.

Verùm ne quis putet huius rei nobis euangelica deeſſe exempla: hoc ſcire eum oportet dictū à Chriſto domino: Si ſciret paterfamiliâs, qua hora fur veniret, vigilaret vtique: & non ſineret perfodi domum ſuam. Nam ſi licet vmbone prudentiæ telum fraudis hoſtilis retundere ac repellere: licebit etiā iuſto moderamine imminentem vim procul abiicere, & ſibi illatam ſarcire iacturam, animo quidem

rei suæ recuperandæ, non vindictæ sumendæ. *Sic* ergo licet resistere malo ad sui defensionem, & rerum per iniuriam occupatarum recuperationē.

Ergône (dixeris) bellum ineundum erit pro rebus tantum caducis repetendis: cùm in omni bello omnium malorum sentina, & crudelitatum omnium colluuies, semper præsto adsit? Non igitur æquum videbitur, si pro leuibus incommodis grauissimis periculis res Christiana exponatur. Huic respondemus bellum maximè in hoc suscipi iustum, vt aliena coerceatur audacia, & tuta sit inter improbos innocentia. Et vt vindicetur ab iniuria orphanus, pupillus & vidua: quando qui semel iniuriam tulit, nec monitus quidem desinit, sed est ad iterandam semper paratior. Non ergo tam rei repetendæ gratia, quàm coercendę iniuriæ, aut puniēdi publici peccati causa ineundum bellum. Sic filij Israel bellum inierunt contra filios Beniamin. Et quemadmodum nemo pro simplici furto interficitur, nisi accesserit incorrigibilitas: ita non existimo pro accepta leui iniuria continuo esse inferendum bellum, nisi ad vitandum futuræ grauioris iniuriæ casum. Proinde nusquam locum habet vindicta, nisi ratione diuinæ aut publicæ iniuriæ vlciscendæ. De diuina quidem scriptum est: Mihi vindictam, & ego retribuam. Publicam verò diuus Paulus designat his verbis: Non sine causa gladium portat. Dei enim vindex est in iram: ad laudem quidem bonorum, vindictam autem malefactorum. Quare non prohibet domin⁹ resistere malo ad defensionem seu publicam seu priuatam: sed solum ad vindictam, vt suprà descripta est: quæ scilicet

magis

magis pertinet ad rancorem, quàm iusticiam.

Iam hinc tertio sequitur fieri posse, vt nonnunquàm resistere malo quis debeat. Quo casu verbum illud Christi de non resistendo malo: neque erit in consilio, neque in præcepto. Neque id mirum. Nam verba Christi priuatam tantùm personam instituunt, non publicam. Nulla enim deo gratior hostia, quàm pœna nocentis. Licet quoque resistere malo ceu iniuriæ etiam priuatæ, prohibēdo ne inferatur iniuria.

Verùm vtrum quis in casu ad hoc teneatur, non abs re quæritur: vtpote si cessante rancore & scandalo, ne insolescat hostis: néve sibi id licere putet, quicquid libet: An quis teneatur repellere à se, dum potest, iniuriam? Esto quòd vt plurimum salubrius sit assuescere non resistere malo: eò quod lubrica sit ad vindictam via. Quo periculo cessante, videtur quis teneri ad suæ vitæ, suæque rei familiaris conseruationem. Parùm enim refert, an quis mortem sibi inferendo, an propriam vitam negligendo pereat. Alioqui non reprimere iniuriantem cum possis, nihil aliud est quàm fouere. Sic ergo non resistere malo quandoque est sub præcepto, aliâs verò sub consilio. Nouissimè autem seclusis periculis, tametsi rarenter, neque sub consilio, neque sub præcepto videri potest: ita vt etiam priuatim quis resistere malo debeat. Neque occidit auctoritate propria, qui inculpatæ tutelæ dat operam, sed publica: quæ est iuris naturæ, quæ à deo mentibus hominum infusa est. Sicut & facultas abscindendi membrum, alioqui vitæ & corpori noxium futurum. Iam constat, quòd qui potest vitam

 propriam

propriam saluare medio licito: in culpa est, nisi se à morte, quantum potest, liberet: præsertim vbi non agitur de negocio euangelico. Quo casu cessaret hæc regula: sed potius in eo locum habet, quod ait dominus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Nos autem de priuato casu loquimur: vbi nec fidei, nec charitatis negocium agitur: & cessat omnis occasio scandali, etiam apud pusillos, nedum viros bonos & graues.

Cùm igitur ex dictis resistere malo, publicè tamen magis quàm priuatim, liceat: nec liceat tantum, imò quandoque oporteat: iam peruium cuique esse debet clericis licitum esse vsum armorum: etsi non ex frequenti vsu, ex vtilitate tamen suæ cōmunitati necessaria: imminente aliâs aut tyrannide, aut publica aduersus innocentes iniuria: si ita opportunitas tulerit, vt solus clericus vim hostilem repellere possit. Nec obest, si quis dixerit, non conuenire quod quis patiatur deiectionē à suo statu per irregularitatem, vt alium ab iniuria subleuet. Nam si vnicuique mandauit dominus de proximo suo: tenebitur id facere is, in cuius manu salus populi reposita est, etiam cum propriæ vitæ periculo: quanto magis cum pœnæ irregularitatis dispendio? Cùm magis teneatur, si vtrunque libere potest, se tutum à morte seruare quàm ab irregularitate. Quinetiam pro actu virtutis quandoque infligitur. Ius itaque gladij iure diuino laicæ potestati tribuitur. Nonnunquàm tamen etiam clericis, tametsi admodum raro, conceditur: ita vt ad huiusmodi vsum necessitate quadam cōpellatur. Nec iccirco dicendum est ius diuinum cedere iuri naturali.

turali. Nam ius diuinum quod concedit laicæ potestati ex officio, permittit etiam cuiuis personæ vsum ex necessitate iure naturali in cordibus hominum scripto: cùm idem sit author gratiæ & naturę. Quod quidem ius naturæ etiam locum habet in clericis, cum nulla appareat ex scripturæ auctoritate exceptio: præsertim in eo, quem descripsimus, casu. Idque adeo quòd quum in extrema necessitate communia sint ea, sine quib' extrema necessitas releuari non potest: & vita nocentis aggressoris in eo sit æquilibrio constituta, idque ex propria ipsius culpa, vt aliâs non possit liberari innocens nisi morte inuasoris nocentis: aggressus, ius habere videtur in vitam aggressoris, à quo nō aliter quàm per cædem euadere potest. Ex his patet ad propositum tertio loco scrupum manifesta responsio.

Colligito ex his synceram ac solidam loci huius intelligentiam: Ego dico vobis non resistere malo. His siquidem verbis, omnis vindicta cohibetur, qua scilicet iniuriam iniuria quis retaliare contendit. Id quod minimè licet. Hæc autem procul à seinuicem distant: vim vi propulsare, & iniuriam repellere iniuria. Vetatur nihilominus sui defensio, primò in euentu negotij euangelici, pro cuius assertione vitam à nobis domin' exigit, si res ita exigat, etiam citra omnem repugnantiam. Exigit autem suo iure dominus, cui amor super omnia debetur etiam super nos ipsos: & in hoc suam voluntatem declarauit, qui ait: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Et rursum: Ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Fugam permittit dominus, negat aut-

tem resistentiam in hoc euangelico negotio. Ait enim: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Cedit etiam defensio vitæ ex ordine charitatis saluti animæ proximi: vbi ex certo & constanti appareret lucrum animę fratris ex tolerantia mortis meæ. Nam vita propria, inferior est saluti animæ proximi. Sed hoc verum habet, vbi probabilis esset coniectura, quòd tolerantia mortis esset medium ad lucrum animæ fratris. Manet igitur integra huius oraculi euangelici rectaque interpretatio, Dictorum enim ratio, ex causis est assumenda dicendi, Ego dico vobis non resistere malo, in hoc videlicet, ad quod ego mitto vos, euangelico negotio, & vt ordo charitatis exigit. Prohibendo etiam zelum vindictæ in omnem euentum, per id quod scriptum est: Mihi vindictam, & ego retribuā in tēpore. Alioqui qui vindicari vult, inueniet vindictam,

Cæterùm quod ad meram corporis defensionem pertinet, vbi de negotio tantùm humano agitur: tuto asserere possumus, propriæ vitæ defensionem, etiam vsque ad mortem inuasoris (si res ita exigat, nec aliunde pateat euasio) omni iure esse permissam: non tamen esse in præcepto, nisi inde penderet Reip. salus & incolumitas. Eo enim casu cùm quisque vitam debeat Reipubl. seipsum vnà cum Republ. defendere tenetur. Id autem colligitur, non ex iure naturali tantùm declarato per legem ciuilem, quòd scilicet vim vi repellere liceat: imò & hoc ipsum ad ius diuinum pertinere Paulus docet, qui ait ad Ephesios quinto. Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.

net eam. Quæ verba (vt minimum sequamur) permissiua sunt. At non fouet, qui (quoad possit) vitam suam non redimit ab interitu : cùm omnibus ex natura persuasum sit, quod poeta ait:

Vt uitam redimas, ferrum patieris & ignes.

Nec huic repugnat quod Christus ait: Qui diligit animam suam, perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eã. Istud enim ad negotiũ spectat euangelicum, vt textus consequentia declarat : illud autem negotiorum humanorum limitibus continetur. Id autem adeò verum est quod Paulus ait: vt hi etiam qui sese interimunt, non tam odio quàm amore sui corporis id faciant: vt qui proprium corpus noluit tam grauibus vexari incommodis. Manet igitur in confesso, iure permitti suæ vitæ defensionem non solùm in eius gratiam, qui se defendit, imò verò ad vsum Reipub. necessarium : grauem alioqui iacturam pateretur Respu. si cuilibet passim cedendum esset inuasori. Nusquam enim tuta esset apud improbos innocentia. Rursum ordo ille confunderetur, quo scilicet vita propria vitæ proximi præferenda venit(vitæ dico, non animæ) vbi vtraque vita saluari nequit.

Persuadetur & hoc ipsum alia ratione, quoties aliquis est à Repub. diffidatus, iustè interficitur, vbicunque locorum reperiatur : cùm sit declaratus publicus hostis. Neque occiditur auctoritate priuata, sed publica. Dico igitur, quòd inuasor vitæ alienæ: ex publico naturæ hominum consensu, lege etiã insinuato, habetur pro diffidato. Sequens ergo est, vt quoties interimitur(seruato iusto moderamine)

mine) auctoritate publica interfectus esse dicatur: incolumi præcepto diuino, quo prohibemur occidere auctoritate propria. Cessat igitur quæstio, in qua plurimi hæsitant negantes fieri posse, vt quis iure intendat occisionem sui inuasoris: cùm ex his via sit aperta licere, videlicet hoc ipsũ intendere, quod Respub. ex professo, ne & ipsa lædatur permittit: videlicet, quod occidatur inuasor, ne iniuriã patientem iniustè interimat. Si igitur iustum est hũc interfici, ne me interficiat: hoc ipsum volendo & intendendo, nihil volo nisi quod iustum est, Et quomodo aliquis diffidatum nedum interimere, imò & velle interimere, potest infra limites lege designatos; ita & hæc intentio suis vallata legitimis circũstantiis, qua ratione damnari debeat non video. Tametsi diuus Augustinus in diuersum inclinare videatur, qui ait: Non placere sibi consilium vt occidatur inuasor. & id quidem rectè & sanctè. multa enim iure permittuntur vt licita, quæ minimè cõsulenda veniunt. Nam quod consulitur, laudabilius esse videtur: quod autem iure permittitur, satis est si culpa absit. Non ergo cõsulitur vt laudabile: sed permittitur vt licitum. Quòd autem istud minimè precipiatur: in causa est, quòd res ipsa receptior est in mẽtibus hominum, quàm vt præcepto indigeat. Cuiusmodi sunt dilectio sui, & proprij fomentum, alimentumque corporis. Quod autem de animæ periculo opponitur: ad id suprà responsum est: vt interim adiiciam, quòd in ipso procinctu vterque est in periculo & confinio mortis & culpæ. Quo fit, vt iniuriam passus, sibi potius consulere debeat: & locum pœnitentię sibi, quoad possit, reseruet. Pote-

rit tamẽ

rit tamẽ interim monere inuasorem, vt à cœpta iniuria abstineat,& animæ suæ periculo cõsulat. Quo peracto, nõ est vnde accusari possit, quasi in aliquo defecerit ab officio charitatis fraternæ.

Hæc oraculi diuini declaratio cùm cuiuis etiam morosissimo satisfacere possit: eam ęquo animo recipere debet Anabaptista, etiã si alioqui fuerit ceruicosissimus, nisi eum pruritu contradicendi pessimè affectum perpetuò delirare delectet. In quo errore si perseuerauerit, ad eum ipsum lapidem offendet, de quo ad præsens agitur: vt qui nõ tantùm malo, imò recto sanoque consilio resistere pergat. Peius autem est resistere bono, quàm (vbi quis cogatur) se defendere à malo. Sic fit, vt in vitiũ ducat vitij fuga, dum caret arte, imò & in eo ipso genere peccati, atque ad eundem lapidem grauius offendat. Id quod illis perpetuum esse solet, tum in aliis, tum in hac etiã maximè causa: in qua dum scripturæ præsidio se munire cõtendunt, eo ipso aduersum se tela parant, quibus confodiantur. Aiunt enim tolerandos esse nocentes ex Christi verbis: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne simul eradicetis & triticum. In quo vno bis errãt. Primùm, quod à nobis exigunt, id minimè præstant. Neque enim permittunt pia etiam nostra dogmata cum suis erroribus crescere: quin potius seipsos ab ęcclesia tota diametro separant, politico ordini vel ex hoc vno pestilentissimè noxij, quòd segetes ecclesiæ adultas suis fascinationibus conterunt, quas suo cõsilio relinquere debuerant. Ideo pœnam haud dubiè merentur, quæ seditiosis in Rempub. lege indicitur: eam scilicet, quæ per Honorium & Theodosium

ſium imperatores in peſtilentes ac ſeditioſos infligenda decernitur. Et cur ita? Vtique ne ita infœlix lolium,& ſteriles dominentur auenæ:vt eorum nequitia ſimul euertatur,quod adhuc ſupereſt, triticum. Qui enim ait tantiſper permittenda zizania, vt non euertatur triticum: haud dubié collectione cõtrarij ſenſus iubet eradicari noxias illas radices, à quibus ſalubriori tritico præſentiſſimum imminet periculum. Textus ergo citatus maximè contra eos facit: cui & Paulus ipſe per omnia conuenit. Vtinam,inquit, abſcindantur, qui vos conturbant. Quæ certè pœna extremum ſecum aduehit mortis ſupplicium. Nemo enim dubitat contumaces ac ſeditioſos, errorum ſatores,incorrigibiles,ſeipſos in ſectam contrahentes,pluſquam ſanguinarios latrones,imò verè lupos,quales Chriſtus in euãgelio deſcripſit ad mortem vſque perſequendos. Lupus enim(vt Chriſtus ait)eſt,qui non venit, niſi vt diſſipet,mactet,& perdat. At huiuſmodi ſunt, qui ſimplices quoſque in ſuam ſectam pertrahunt: obedientiam nedum pernegant, imò verò ſuos probos etiam pioſque paſtores maledictis proſcindunt. Leges, ſine quibus minimè tuta foret inter improbos innocentia,ſubſannant,lacerant,pedibuſque cõculcant. Luxum & periuria colũt,dominia nemini permittunt. Quo ſemel admiſſo veneno, qui validior fuerit robore,potior erit iure: nec aliud ſupereſſe poſſit politiæ, quàm fœda tyrannidis ac miſeranda facies. Denique & ipſi naturæ iniurij, coniugia diſſoluunt. Vt quid igitur terram occupat nedum ſterilis,imò & peſtilẽtiſſimè noxia arbor? Cùm autem dicunt(ſed perſpicuo mendacio)ſe nolle cuiquam

negotium

negotium facere: res ipsa diuersum indicat, & quidem apertissimè, cùm nihil aliud moliantur diurno nocturnoq; labore, quàm vt surreptitiè obuia quæque subtrahant, subtracta suo peculio adscribant. Quid igitur opus est verbis, vbi res ipsa eos maximè conuincit apertissimi pestilentissimique mendacij? Quò enim magis tegitur, tantò magis æstuat ignis. Quis colubrum (quem fuga euadere non possit) aperto veneno ad vestigium se insequentem, non statim oblata sibi occasione conterat? Quis neget eum, qui intrauerit vt vulpes, vt leo regnaturus sit, (vt ipsi communi voce minantur) tandem periturũ vt canem? foras igitur pellendi sunt rabidi isti ac venefici canes, ne suo vel morsu vel attactu alios inficiant. Sed de ea re hactenus. Iam in viam redeundum est.

Quæ de licita defensione mox disseruimus: nonnulla à tergo dubia relinquunt, quæ singula conuenit excutere.

Primum dubium est, Si licet publicæ salutis gratia vitam exponere: an etiam illud sit in præcepto.

Deinde & istud quæritur, An defensio vitæ propriæ eo vsque licitè procedere possit, vt peccatoris non solùm corporalis, verumetiam spiritualis vita periclitetur. Nam vota ꝓpria cedere debet vitę spirituali alienæ.

Tertiò & illud meritò quæritur, an solius vitæ tuendæ gratia: an etiam pro libertate, pudicitia, rebusque necessariis seruandis liceat alienæ incumbere morti, eius scilicet qui ea per vim contendit auferre.

Ad id quod primò quæritur: Primum omnium constare

conſtare debet perfectæ charitatis eſſe indicium, pro amicis vitam propriam exponere. Id quod in mandatis nobis à Christo domino relictum eſt. Ait enim: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et continuò ſubiungit: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Verùm hæc ſententia extra cauſam noſtram eſſe videtur, cùm dominus de vita ſpirituali aliena tuenda defendendaque agat, cuius rei gratia non tantùm licet, imò verò oportet vitæ ſubire diſpendium.

Verùm eo loco non additur de rerum aut vitæ temporalis defenſione: quare alius inueſtigandus eſt locus. Ait Sapiens: Vſque ad mortem certa pro iuſticia, & libera eos qui ducũtur ad mortem. Propulſanda eſt igitur aliena iniuria, præſertim totius communitatis, etiam vſque ad mortem priuati. Et id quidem nemini dubiũ eſſe poteſt: maximè vbi imminet totius communitatis periculum, etiam eo qui defendere poteſt incluſo.

At vbi quis in tuto remanet, reliquis in periculo conſtitutis: dubiũ videri poteſt, an ille (cùm ſit priuata perſona, ad quam ex officio non pertinet reipublicæ defenſio) vitam propriam debeat exponere pro reliquorum tuenda ſalute. Manus enim in corpore, dum ſe exponit periculo pro capitis defenſione, meritò ad hoc eſt à natura ingeniata. Nam idem eſt capitis, ac totius reliqui corporis periculum. Et quanuis ſcriptum ſit, Vt vitam redimas, ferrum patieris & ignes: patimur nihilominus membrum aliquod in corpore ſtupidum, modò ne toti corpori ſit noxium. Nullo igitur naturæ exemplo probari

probari poteſt: quòd quis, dum aliâs ſe poſſit eximere periculo, teneatur pro ſaluandis reliquis vitam propriam exponere: præſertim ſi nullo fungitur magiſtratu, cuius occaſione ad id teneatur.

Si tamen rem ipſam propius intueri volumus, facilè conſtabit in omni caſu quenuis, qui ſit pars cōmunitatis, teneri etiā ſuo extremo periculo ipſam à ſummo diſcrimine tutam quoad poſſit reddere. Id quod hac vna ratione probatur: Vbi omnes priuatim viuere vellent, iure cogi poterit quicūque de communitate ad curam reipublicæ ſuſcipiendam. Quod fieri non poſſet, niſi iure teneretur quiſque vſque ad ſummum diſcrimen illam defendere. Tenetur ergo quicūque de communitate, ſi ad id iure cogi poteſt, ſuo officio non deeſſe, vbi facultas adſit: ita vt ſi velit ſe ab huiuſmodi cōmunitate abdicare, non poſſit, niſi de reliquæ communitatis conſenſu. Huc ſpectat, quod diuus Paulus ait: Non quę veſtra ſunt quærentes, ſed quæ ſunt aliorum. Vbi non potiſſimum de ſpiritualibus agitur. Quomodo enim admitti poſſit, quòd negligere noſipſos in ſpiritualibus debeamus, & alienam propriæ præferre ſalutem? Non ergo hoc intelligendum eſt de ſpiritualibus, verùm potius de rerum temporalium neceſſario prouentu: in quo verùm eſt illud: Vnicuiq; mandauit deus de proximo ſuo, etiam alioqui hoſte & inimico: quanto magis de vniuerſa communitate? Nam non nobis ſolùm natos nos eſſe ait Orator, ſed partem, inquit, ortus noſtri accipit patria partem amici. Huic loco accedit ſolidū ſcripturæ teſtimonium Iob. 2. Pellem pro pelle: & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Vbi Chaldæus

interpres

Interpres ait: Membrum propter membrum, subaudi seipsum, exponit discrimini: & minora membra facilè despiciuntur, vt seruentur maiora. Denique omnia contemnuntur pro seruanda vita. Quæ sententia traducta de corpore naturali ad corpus mysticum, probat hanc nostram intentionem. Nunc restat secundæ satisfacere percontationi.

Secundo loco quæsiti difficultatem auget id, quod mox dicim', præferendam scilicèt salutem animæ in proximo vitæ etiam corporali propriæ. Quare videretur esse ingentis perfectionis & charitatis exquisitæ, si quis dum inuaditur ab hoste, vitæ propriæ periculum subire velit, vt inuasori tempus detur pœnitentiæ: quem tamen aliâs subitò posset extinguere. Hoc enim est ponere vitam pro anima ꝓximi. Verùm eo casu supponitur, ꝙ huiusmodi inuasus nullius esset culpæ cōscius: quæ sibi viam ad æternæ beatitudinis adytum præcluderet. aliâs sibi potius consulere teneretur. Quo quidem retento casu: vbi iudicaret se tutum in conscientia, alium verò perditionis subiacere periculo: tametsi ex charitate mortem pati posset, quæritur, an ad id teneatur potius, quàm inuasor mala morte pereat? Sunt qui dicant nō teneri huiusmodi hominem, vel eo maximè, ꝙ vtriusque vita existente in discrimine sibi potius, quàm alteri consulere debet. Quod quidem verum est, vbi de salute animæ non ageretur. Porrò hic confertur non tantùm corpus corpori, sed anima proximi corporali vitæ propriæ.

Verùm hoc dicunt huiusmodi præceptum esse affirmatiuum, non pro semper obligans: sed hoc solum attendendum esse, quòd ipse quantum posset, se liberet

liberet à morte:ad cætera pro tūc nihil teneri. Qui ita sentiunt,mihi non satis attendere vidētur,quòd istud præceptum affirmatiuum, esto q̄ non obliget pro semper:obligat tamen pro eo potissimū tēpore, in quo de pręsenti materia agitur huiusmodi præcepti.Hic autē si vnquam aliâs,occasio præsens est. Nam nunc confertur salus animæ saluti corporali. Cuius rei cōscius est ex casu afferto & posito ille, qui hunc charitatis ordinē seruare debet. Nec satis facit quod dicunt hanc nō esse materiam præcepti obseruandam omni tempore, sed eo solùm quo cōtingeret vel ad fidem hortari,vel à peccato auertere: vt dū seminatur verbū dei, vel dum correctionis fraternæ præsens imminet negocium. Tunc inquiunt,quis debet præferre salutē animæ propriæ vitæ. Hic autem agitur de defensione propria, non de exhortatione aliena. Hæc certè responsio seipsam elidit. Nam tum maximè locus est correctioni fraternæ, cùm quis sperat ex huiusmodi patientia & tolerantia futurum, vt alteri detur locus pœnitentiæ. Id quod casus ille figurat, quem ab initio posuimus. Quare haud dubiè colligitur tenendum eum esse casum, & adesse tempus, pro quo præceptum affirmatiuum obliget de præferenda salute spirituali aliena corporalis nostræ vitæ commodo. Nam certissima spes, quæ ex casu supponitur, futuræ in eo pœnitentiæ efficit, vt certissimè eius saluti prouidere teneamur. Tunc enim obligat fraterna correctio, quando inde speratur lucrum fratris,dicente Christo: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.Sed & hoc dominus apertè dicit: Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporū:

t rū:

rum: estote ergo prudentes sicut serpentes. Quæ quidem missio eò spectat, vt ouis patientia lupum tandem in ouem conuertat, non vt ouis lupum occidat. Id quod nunquam accidere solet. Tunc enim mandat dominus vnicuique de proximo suo. Illudque præstandum est, quod requirit Paulus: Non quæ vestra sunt quærentes, sed quæ sunt aliorum. In hoc maximè, vt spirituale æternum priuato temporali commodo præferatur. Nam si tutela vitæ propriæ nobis esset necessaria, etiam vbi ageretur de salute animæ captanda: peccassent omnes martyres, si aliâs propriam vitam defendere potuissent. Quod nemo sanæ mentis admittat. Dicimus ergo, quòd vbi iniustè inuasus speraret locum pœnitentiæ in inuasore per propriæ mortis tolerantiam: tunc casus adest, in quo negligere tenetur vitam propriam, vt saluti consulat alienæ quoad animam. Verùm raro accidit huiusmodi casus, videlicet quòd quis tutus sit in propria conscientia, & quòd speret de conuersione aliena.

Huic affine est, quod quæritur à nonnullis: An liceat vnica mihi restante tabula de naui diruta & absorpta alium extrudere, ne ipse peream, cùm ob angustiam duos simul capere non possit? Ad quod dicendum occurrit, quòd primùm occupatam ab altero tabellam auferre non liceat. Porrò ante occupationem duobus contendentibus sorte lis dirimetur, cùm non sufficit vna duobus. Qui autem sortis aleam subire contemnit (cùm riualem suo iure priuare contendat: nam contentiones comprimit sors, & ipsa inter potentes di-

iudicat) meritò priuari meretur qui est in culpa, aut in mora. Sunt autem, qui ex hoc similitudine quadam falsi licere putent intentare mortem alteri aliàs interficiendo à quodam tertio fortiore, nisi iste alium interficiat. Verùm hic casus longè abest à primo, vbi naufragium passus riualem expellit sua sorte minimè contentum: nam iure suo vtitur. Hic autem minimè recipienda est excusatio dicentis: Ego te interficio, alioqui interficiendum à sicario prædone, nisi id facerem. Nam medius iste nihil iuris habet, quo auferre possit vitam innocentis. Secus in priore casu. Et de his hactenus.

Ad ea autem, quæ deinde sequuntur, pro quarum rerum defensione liceat alteri intentare exitium, deueniendum singillatímque de singulis tractandum est. Nempe de libertate tuenda, deinde de pudicitia conseruanda, nouissimè verò de defendēda re familiari.

Primùm igitur si de tutela libertatis agatur aduersus tyrannum, dicunt nonnulli interfici posse tyrannum vsurpatorem pro tuenda libertate. Vsurpatorem dico, cùm quis nullo iure occupat dominium, & incubat potestati alienæ. Secus autem si verus dominus tyrannicè imperaret. Nam eo casu nunquam induci potuit Dauid, vt etiam sępenumero oblata occasione mitteret manum in Christum domini: quin & occisorem Saulis etiā semimortui, & vltro mortem appetentis, extremo supplicio puniuit. Non est igitur tanti subditorum libertas, vt pro ipsa tuenda quiuis de plebe tyrannicè imperātem inuadere possit: vt docet edictum concilij Cō-

ſtantienſis pro parte ducis Aurelianẽſis cõtra Burgundionum ducem. Neque enim poteſt, qui verus eſt dominus, hoſtiliter inuadi: ſed via tantum iuris à tota communitate moneri. Et ſi incorrigibilis fuerit: aut detineri debet ad tempus, aut deponi. Nemo enim occiditur citra ius belli. Quod non cadit aduerſus principem, niſi iuxta allegata & probata, & quidem à tota communitate: quæ ſibi in hac parte conſulere poteſt iure naturæ, vt alio loco amplius declaratum eſt. Cæterum tyrannum vſurpatorem notorium interfici poſſe ſuadet titulus belli iuſti: quo perdurante quiuis è populo hoſtem declaratum ac perduellionis reum iure publico interficere poteſt.

Verùm continuò is foribus aderit nouus ſcrupus. Si enim inuaſor iuris alieni publici intelligatur habere continuum bellum cum populo, nulla treuga interruptum, nulla pace terminatum: quo perdurante, liceat vnicuique de populo tyrannum vt hoſtem aggredi: eò quòd vſurpare dominium huiuſmodi inuito populo, etiã ſine violentia, ſit debellare populum: vt aiunt huius ſententiæ authores, videlicet Cardinalis de Vio in Secunda ſecũdę, quæſt. 64. artic. 3. vocans iſtud bellũ implicitum: & confirmans iſtud exemplo Ahod aduerſus Eglon regem Moab, Iudicum. 3. Hæc, inquam, ſi vera ſunt, ergo quilibet etiam põtifex non intrans per oſtium in ouile ouium, erit perduellionis reus, & à quouis de plebe citra iniuriam deturbandus. Dices iſtud intelligi, niſi nouus acceſſerit populi conſenſus: quo interueniente, cenſetur noua electio. Secus in principe ſeculari, qui inuadit ius hæreditatis

alienæ,

alienæ. Hoc ſaltem ſequetur, quòd in ſchiſmate duobus contendentibus ſimoniacè ingreſſis, cùm erga illos duos non poſſit haberi conſenſus ab eccleſia aduerſus eos tanquam inuaſores, huiuſmodi aggreſſio erit licita. Item non videtur quo iure quis ingreſſus in ouile ouium, non per oſtium, ſed aliunde, pro vero paſtore approbetur. Hoc enim eſſet impio præbere auxilium: & cum eo, qui abdicatus eſt à domino, amicitia iungi. Qua de re irritatus per Pſalmiſtam dominus ait: Si videbas furem, currebas cum eò: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis. Ergo ſimoniacè ingreſſus non poteſt nouo conſenſu approbari. Sic ſemper manet perduellionis reus, vtpote poteſtatis alienæ incubator. Non enim rationes vrgent inductæ per dominum de Turre Cremata in cap. Si quis pecunia. & in cap. Si tranſitus. dum ait, quòd habito conſenſu duarum partium cardinalium, etiam electione exiſtente vitioſa, vtpote eis ſcientibus & conſentientibus: nihil poſſe opponi pontifici iam electo: cùm nulla admittenda ſit exceptio, niſi in crimine hæreſis. Quia, inquit, licèt elegerint ſimoniacè papam, & electio fuerit vitioſa: ipſa nihilominus electio à duabus partibus facta eſt valida.

Sed huic reſponſioni ita opponitur: Conſtat iure diuino materiam eſſe illegitimam, quæ non intrauit per hoſtium in ouile ouium. Ius ergo poſitiuum non poteſt, & præſertim per actum vitioſum, huiuſmodi materiam legitimare, niſi prius per pœnitentiam culpa deleta, & abſolu-

tione præuia: quia huiusmodi subiacet pœnæ iuris, cùm adhuc non sit papa. Sed oportet prius alium interuenire consensum, quàm simoniacum: & eum, qui eligendus erat, absolui à simonia iuris diuini, quæ reddit eum inhabilem. Ideóque subiacet pœnæ iuris positiui, nisi accedat abolitio: quæ fieri non potest per huiusmodi electionem simoniacam: sicque requireretur noua electio. Redeundo itaque ad id quod dictum est, si inuasor principatus aut dominij possit interfici tanquam perduellionis reus: iam sequi videtur, quòd simoniacè electus, nisi culpa pœnaque deleta, & accedente legitimo consensu, posset occidi: si verum est quod dicunt, tyrannum tyrannicè inuadentem dominationem aliquam iustè & impunè à quouis priuato posse interfici. Ideóque rectiùs videtur dicendum, iure prius agendum esse aduersus tales tyrannicos occupatores. Quibus legitimè vocatis, & causa deducta, sententiáque aduersus eos declarata, impunè posse interfici: si aliâs apprehendi non possint. Prius enim est, vt res veniat in iudicium. Nam etiam in bello iusto debet indici futurum certamen parti iniurianti: imò iuxta sententiam domini primùm oportet illi proponere pacem. Quam si renuit: licebit vlterius progredi. Et huc vsque pro tuenda libertate procedendum esse videtur.

Secundo loco de tutela pudicitiæ agendum est. Sunt apud infideles, qui pro defendenda pudicitia suos amatores interfecerunt. Quæ res inter Christianos caret exemplo. Legimus enim de beata Lu-

ta Lucia: Si inuitam me violaueris, castitas multiplicabitur ad coronam. Didicimus etiam omni via esse resistendum hosti & inuasori propriæ pudicitiæ. Cæterùm non legimus occidi posse huiusmodi inuasorem: quin pro virginitate seruanda, atque adeò opere consilij, laudantur: qui mortem prætulerunt etiam matrimonio aliâs legitimo, vt sit virginitas præferenda vitæ. Nam in re tam excellenti non tenetur quis conseruare vitam: quam etiam medio licito seruare poterat. Id quod exemplo sanctarum virginum didicimus: quas spiritu sancto afflatas credit ecclesia. Nam vbi spiritus domini, ibi libertas. At nusquam legitur euangelicæ imitationis esse, pudicitiæ inuasorem occidi debere. Quin potius audiendus est Christus, dicens: In patientia vestra possidebitis animas vestras. cætera verò sunt omittenda.

Tertio nunc loco de rerum tutela agenda est. Qua in re nonnulli sentiunt pro re familiari vitæ nostræ necessaria tuenda aduersus iniustum inuasorem, nihil piaculi esse, si huiusmodi inuasor interficiatur: vbi aliâs res nostra defendi non possit, præsertim vbi via iuris aliâs recuperari non posset. Et id quidem dicunt esse in causa: quia cuilibet imminet cura rerum suarum potius, quàm alienæ vitæ, nisi in causa necessitatis. Semper enim (vt aiunt) mihi imminet cura rei meæ: vitæ autem alienæ non semper, nisi in casu necessitatis: quia etiam nunc si vult, potest se eximere periculo. Ego verò sum in ne-

cessitate constitutus: vt qui aliâs euadere non possum, nisi aut rebus ablatis, aut eo qui me inuadit, interempto. Quam sententiam vt faciant credibiliorem, aiunt defensorem rerum suarum non intendere alterius cædem: sed tantum suarum rerum tutelam, iusto (vt videtur) moderamine seruato. Et quanuis (vt aiunt) plus diligi oporteat alienam vitam, quàm res meas communi quadam obligatione: singulariter tamen mihi imminet cura rerum mearum. Verùm vt mox dictum est, vbi periclitatur vita proximi siue ex culpa, siue non: præferenda est in particulari aliena vita substantiæ propriæ. Cùm enim ille ordo charitatis sit in præcepto affirmatiuo, tunc maximè & pro tunc obligare videtur, quando res ita se habet, vt vno relicto in alterum incidere necesse sit. Nec obest, si necessitas accidat ex culpa alterius. Nam liberandus esset à morte etiam perire volens. Et vita eius qualiscunque est, ordine naturali præfertur cuicunque terrenæ substantiæ. Anima enim plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum. Nullo igitur casu vita est postponenda rebus. Postponeretur autem, si malim sequi mortem, quàm rerum mearum ablationem. Nec obstat quod dicitur, inuasorem esse in culpa. Nam huiusmodi culpa non meretur mortem nisi per sententiā iudicis, quam præuenire nemini licet. Illud quoq; aduertēdū, quòd vita mea atq; vita proximi ordine præçedunt propriç substātiæ çstimationē. Verùm, inquies, ex rerū mearum perditione sequitur propriæ vitæ iactura. At nemo negabit

negabit mihi pluris esse debere vitam meam, quàm vitam proximi. Huic dicendum, ꝙ vita mea præferenda est vitæ proximi, sed hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod fieri habet in continenti. Nunc autem non imminet præsens periculum vitæ propriæ. quin potius non ita res est deplorata, vt spes mihi vitæ omnino adempta sit, etiam si rerum omnium iacturam passus fuero. Nam Christiana pietas vix omnino patitur mori fame indigentem. Secus si præsens famis adesset periculum. Quo casu fortè liceret quod prætenditur. Nos autem in alia luctamur arena. Atqui hanc quæstionem nuper absoluimus.

Id quod dicimus, planè firmatur ex cap. Interfecisti. de homic. volun. vel casuali. Eo enim loco dicitur: Si autem sine odij meditatione te tuaque liberãdo huiusmodi mẽbra diaboli interfecisti, &c. vbi excusatur interfector non pro tutela rerum tãtum, sed etiam pro defensione vitæ propriæ. Quod non tacuit eo loco glossa, dum ait: Potius debuit dimittere sua, quàm ipsum interficere. Nam & hoc ipsum apertè declarat cap. Suscepimus. eod. tit. Cùm enim præmittatur: frater illos, ne ipse ab eis interimeretur, occidit: statim subiungit, Verùm potius expediebat post tunicã relinquere pallium, & rerũ suarum sustinere iacturam, quàm pro conseruãdis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere. Hic ergo excusatur tutela vitæ propriç, & accusatur defensio rerum vsque ad alienam necem. Hoc ipsum docet cap. Si perfodiens. eod. tit. vbi excusatur occidens nocturnum furem, & accusatur interfector furis diurni: quia discerni poterat,

rat, quòd ad furandum, nō ad occidendum venisset. Non ergo licuit eū interfecisse, qui sciretur in hoc venisse tandem vt furaretur. Quin & subiungitur, furem diurnum, qui se telo defenderet, impunè occidi posse. Iam enim pl' est quàm fur. Qui ergo nihil aliud quàm furem ageret, non censetur interficiendus. Quæ omnia declarant rerum defensionem non esse tanti, vt huius rei gratia quis interfici debeat. Et hoc apertè censuit eo loco Abbas Siculus, videlicet in cap. Interfecisti. quarto notato. Nec aliâs procedit impunitas, nisi in foro exteriori: vt saluetur auctoritas iuris Ciuilis in. l. furem. ff. de sicariis. Qui autem dicunt licere laico, quod non liceat clerico: si de morte agitur pro rerū defensione, planè hallucinantur. Nam vita p̧ferenda est rebus iure communi laicis & clericis. Nec alius est ordo apud laicos quàm clericos, quoad substantiam peccati. Secus de circunstantia aggrauante.

Vt igitur summatim colligam quoties vi armata fur quempiam violenter inuadit: iam non de rerum tantū tutela res est, sed & vitæ & corporis, quā constat esse præferendam alienæ. Qua de re tamē mox dicetur. At vbi deprehenditur furem non nisi rebus imminere captandis, nec vltra posse nocere: iam à nece illi inferenda temperandū est. Vt si præcipitium illi immineret aufugienti re ablata, parcendum est vitæ ipsius etiam cum mearum rerum iactura. Hic enim locus est seruando p̧cepto, quo præferri oportet vitam alienam reb' meis. Alioqui si tanti apud me esse oporteat priuatum commodū, vt cętera negligi possint: pro re etiam minutula cōseruanda liceret alienam negligere vitam. Quod

nemo

nemo vel de somnio cogitauit vnquam.

Vt autem,quod amplius est, dicam: iuxta patrũ saniorem sententiam nedũ pro rebus, imò verò nec pro tuenda vita propria, aut licuit, aut licebit vnquam ex intentione prosequi mortem proximi,etiã ne me occidat. Vrget enim præceptum de non occidendo auctoritate priuata. Proinde sequens est,ꝙ in defensione vitæ omne medium necessarium etiã vsque ad læsionem inclusiuè, ex intentione assumi potest,citra tamen mortem proximi:cuius mortem nunquam intẽdere licet. Nam cõtrarium iubet dominus vitæ & mortis,vetans ne quis occidat auctoritate priuata. Nec ex hoc sequitur, quòd sit præferenda vita proximi vitæ propriæ: tantùm sequitur, quòd postponenda est vita mea diuinæ voluntati prohibẽti, ne quis à me priuatim interficiatur. In hoc enim præferri potest vita mea alienæ, si detur mihi optio, vt licite malim vitam meam alienæ præferri: vt scilicet me potius saluum esse curem quàm proximum, dum vtriusque saluti consulere non valeo:non tamen ita, vt mihi liceat priuatim alteri mortem inferre. Obstat enim diuinum præceptum de non priuatim occidendo. Quod quidem nunquam cedit cuicunque vtilitati priuatæ seu rerum,seu vitæ.Dum ergo dicitur, Vim vi repellere licet:id locum nõ habet nisi quoad homines, si quis intendat mortem inferre alteri.In hoc enim quoad deũ cessat moderamẽ inculpatæ tutelæ, infra quod cætera diuina etiã permissione tolerantur.Loquor autem de intentione priuata. Aliâs enim publica iudicis auctoritate,aut belli iure legitimi, licet alteri ex intentione mortem inferre.

Sic

Sic igitur immota manet, fixáq; perdurat catholica assertio, qua euangelico edicto vindictæ cæca libido coercetur, & retaliãdæ iniuriæ facultas adimitur: non tamen omnino prohibetur, ne quis à se proximóve imminentem (iusto moderamine seruato) depellat iniuriam. Christus itaque dominus occidere vetat, sed priuata auctoritate: sua interim iura naturæ politiæq; permittens, propulsandæ scilicet priuatim iniuriæ, illatæ verò publicè pro qualitate criminis puniendæ, & in posterum coercẽdę: æquo tamẽ in omnibus moderamine seruato. Iubet ne irascamur fratri, temerè inquam & citra iustam causam. Paremque interpretationem recipit edictũ istud euangelicum: Ego dico vobis nõ resistere malo. Super qua re ita Euthymius disseruit: Ego autẽ dico vobis, quòd omnis qui irascitur fratri suo in cassum, nec congruo tempore: hæc enim indicat dictio εἰκῆ (quam nos temerè vertimus) obnoxius erit condemnationi. Addens autem, temerè, non omnimodam abstulit iram, sed intempestiuã tantum abiecit: quæ enim opportuna est, vtilis est. Dicitur autem ira opportuna, quæ sumitur aduersus eos, qui contra dei præcepta viuunt: quando non ad vindicandum nos, sed ad vtilitatẽ eorum qui malè viuũt, ex dilectione & amore fraterno irascimur cum cõgrua honestate. Irascimini enim (inquit) & nolite peccare: hoc est, ne in irascendo erretis, ira malè vtentes. Et de non resistendo sic ait: Quid ergo neque diabolo resistere licebit? Vtiq; inquit: sed non in vlciscendo fratre (hanc enim resistentiam prohibuit) sed in patiendo ac sustinẽdo. Neque enim per iram extinguitur ira, sicut nec ignis igni: sed con-

traria

traria fiunt cōtrariis medicamētis. Vides ergo prohiberi non tam defensionis præsidium, quàm vindictæ appetitum. In reliquis tolerantia ad supererogationem & excelsi pectoris magnanimitatem pertinet: vt cùm de prabenda maxilla, deq; relinquendo pallio consilium proponitur. Hortantis eni hæc verba sunt, potius quàm iubentis si in omnem euētum executionem attēdas: alioqui vim præcepti habet, si referatur ad præparationē animi in hoc præsertim quod Christus ait: Relinque ei pallium, ex Matthæo. Ex Luca verò: Tunicam ne prohibeas. Vt ne illud interim obiter omittā ἱμάτιον & χιτῶν promiscuè accipi: vt si apud nos pallium pro tunica, tunicā pro pallio accipias. Quæ omnia ad præparationem animi referenda esse elegantissimè (vt si quis alius) diuus Augustinus docet. 23. quæst. 1. in cap. Paratus. cuius interpretatio vel vna sufficit ad reprimēdos tumultuantium hæreticorum impetus. Sic enim ille habet: Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potius numerus crescat bonorum, nō vt pari malitia se quis numero addat malorū. Denique ista præcepta magis sunt ad præparationem cordis, quàm ad opus quod in aperto fit, vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia. In manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse, quibus bene velle debemus. Hæc ille. Resistit ergo malo occurrenti princeps, idque sanctè & iustè, sed tanquam dei minister, non ausu priuato, sed nutu potius diuino, cuius vindex est in irā. Nam vt qui pœnitentem recipit, dei minister est ad gratiam, seu beneuolētiam: ita & qui noxios punit,

dei mi-

dei minister est in iram. Hoc est quod Photius ait: Qui male viuentes punit, deo ministrat ad iram: sicut ministrat deo laudans bonos, ita & puniens malos. Nec istud est malum pro malo reddere, sed iniuriam patienti bona prouidere. Prouidentes (inquit) bona non solùm coram deo, sed coram hominibus. Quin & benè prouidetur nocenti, dum non finitur ex animi sui sentẽtia agere. hoc enim summi beneficij indicium est. Neque id repugnat paci, quam à nobis Paulus exigit, dicens: Cum omnibus hominibus pacem habentes, hanc adhibens cautionẽ, quãtum in vobis est: vti nec pacem abiicit, qui in hoc solùm intentus est, vt occurrentem (quando aliud non potest) propulset iniuriam. Sed neque defensionem prohibet, qui ait: Non vos ipsos vindicãtes charissimi. Multis enim à se inuicem gradibus dissident, defensio & vindicta. Illa iram cohibet, cautione seruata: hæc verò iram ducem sequitur, cùm ipsa det locum iræ. Vindictæ libido vincitur à malo, tolerantia vincit in bono malum: defensio autem mediũ quoddam inter vtrumque tenet. Toleratur itaque defensio, laudatur apathia, damnatur vindicta. Sic fit, vt facile agnoscas, quàm irrito quassóq; ictu nos impetant Anabaptistæ, qui solo cortice literæ pro telo vtuntur: quum nõ à cortice, sed à medulla verũ scripturæ sensum educi oporteat & elici. Neque enim à verborum foliis (iuxta Hieronymum) petenda est mens vera scripturæ, sed à radice rationis.

Verùm ad hunc modum insultant Anabaptistæ. Si pro tua ipsius iniuria tibi minimè liceat arma sumere: qui fit, vt pro aliena propulsanda arma capessenda esse existimes? Hoc eni esset diligere pro-

ximum

ximum plusquam seipsum.

Hoc autem pronunciantes, sese bis errare nõ attendunt, in causa scilicet propria, atque etiam proximi defendendi facultatem nullatenus admittentes: cùm de proximo legamus: Non stabis iuxta sanguinem proximi tui; &, Vsque ad mortẽ certa pro iustitia. Et qui ait: vidète ne contemnatis vnum ex pusillis istis: quid aliud iubet, quàm ab eis iniuria propulsetur, non animæ tantum, sed & rerũ & corporis? Nam si ab aliena fraude proximum iure defendere licet, indemnemque (quoad possimus) reddere: cur non etiam vetando à vi aliena, immunem reddere curabimus proximum? Quis non illud ex Esaia didicit, euangelico vate: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, dèfendite viduam? Hæc quomodo fient sine lege & magistratu? Audiant etiam Paulum, quibus vetera putent, qui suum ipsi putorem minimè attendunt, ita dicentem: Non quæ vestra sunt quærentes, sed quę sunt aliorum. Id autem referri non potest ad animam, quæ nullatenus negligi debet. Ad publicum igitur temporale commodum referendum venit, in sectandis scilicet commodis, & propulsandis incommodis. Idem de nobis ipsis sentiendum est. Si enim Anabaptistam lupus inuaserit: nonne etiam missili telo arcere poterit lupum? Quid si furiosus aliquis idem attentauerit, aut certè vino obrutus & crapula? Idẽ profectò censendum erit. Atqui nihil in re ista refert, an sobrius te inuadat, an ebrius: quin si vni, ita & alteri resistere possis, non quidem zelo vindictæ, sed titulo moderatæ tutelæ. Eodem certè iure & ferarum & ferocientium hominum non solùm declinare,

nare,imò & arcere possumus iniurias,sicut & astutorum hominum fraudes & versutias. Ad hæc nemo negauerit licere cuique imminens aut effugere, aut vbi fugere non liceat, posse impedire malū aut clypeo,aut obstaculo quocunque: modo ne malum malo retalietur. Nam istud pertinet ad vindictam, illud verò ad defensionem. Licet igitur resistere malo,defendendo seu impediendo, non tamen retaliādo seu vindicando. Hinc Paulus ait: Non vos vindicantes Charissimi.non dicit,non defendentes:sed vindicātes. Et hic est germanus literæ sensus: à quo recedentes stupidi Anabaptistæ, in profundum labuntur errorum, dum delirium delirio connectentes,nemo sit vno errore contentus. Principatum magistratumq́ue omnem ab vniuerso orbe Christiano resccādum,prorsusq́ue explodendū,pertinacissimè prædicant. Sic fit, vt leges coerciuas in nullo aut gradu aut numero habeant, cùm tamen Paulus dicat primo prioris ad Timoth.capite: legem esse positam iniustis,non subditis, seu inobedientibus, impiisq́ue prophanis & irreuerentibus, vt reliquam sceleratorum coluuiem prętercam. Ex quibus verbis nihil apertiꝰ colligi potest, quàm quòd opus sit lege coerciua ad eos domandos,mulctandos, compescendósve, qui huiusmodi criminibus laborant: quorum nunc maxima turba est. Suo enim cuique morbo suum adhibere oportet antidotūm. Ideóq́ue alio loco ait: Nō sine causa gladium portare principem, cui subiectos nos esse oporteat: non solum propter iram: verumetiam propter conscientiam: Hoc est(vt Photius ait) ne videaris conscientia carere, ingratusq́ue ac perfidus esse, si benè de te

merito

merito dei ministro non subdaris. Plurimis siquidem beneficiis afficiunt nos principes, & per eos vita nostra consistit: eo quòd nisi ipsi essent, omnia perirent his qui potentiores sunt, piscium in modũ minores deuorantibus. Vide ergo quàm necessarius sit, in lege etiam euangelica, principatus: quem cæca Anabaptistarum temeritas nec cognoscere se simulat nec agnoscere. Si enim lex est posita iniustis: oportet esse legislatores principes & nomophylaces magistratus. Et inde continuo sequitur congruere, vt in ordine etiam Christiano alij alios vt potestate, ita & facultate præcellant: quibus præsidiis fulti, legum pœnas executioni demandent. Quod nec Paulus ipse dissimulauit singula singulis præstanda decernens: Cui inquàm, honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Qua etiam in re turpissimè falluntur, qui dicant exigere ordinem Christianismi, vt omnibus sint omnia, & communiter æqualia, & æqualiter communia. Quod si verum esset, iam locum non haberet illud Pauli: Præcipe diuitibus non altum sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Cessaretque præceptum de eleemosyna, cùm nullus, nisi quod suum est, acciperet. Denique inter Christianos emptio & venditio locum non haberent, cùm nemo cogi debeat quod suum est, emere. Quin & illud falsum esset: Qui altari seruit, de altari viuat. Non enim magis de altari quàm de re quacunque alia viuendum esset, vbi res omnes in commune possiderentur. Quid quòd nec ipsi Christi loculi omnibus erant communes. quod tamen fieri oportuisset, si omnia inter Christia-

nos, id exigente euangelio, debuissent esse communia: qua scilicet cõmunione admissa & recepta, non fuisset Iudas furti accusandus. Neque enim detinuisset alienum. Vbi enim communia sunt omnia, ibi nihil est alienum. Vide, vt ex vnius delirij scaturigine vadabili primùm, nullo nauigio permeabiles defluant errorum lacunæ. Vide, inquam, quò ducat cæcitas homines istos temerè per deuia errorum vagantes. Hoc certè delirio obliterabunt, quæ in sacris scripturis sparsim leguntur, assertiones plurimas. Primùm ibi eleemosyna locum non habet, vbi omnia omnibus sunt communia. Sicque obliteranda erunt, & præcepta & consilia: quæ ad eleemosynam spectantia passim, & apud Christum, & apud Apostolos leguntur. Nulli erunt in orbe Christiano pauperes, vt frustra iam dicas in mandatis relictum, vt eorum subleuetur inopia. Quomodo enim pauper erit, qui omnia possidet? Aut quomodo Christus præciperet omnibus Christianis, quod nusquam sciret obseruandum? Cur non damnabat vnica sententia Paulus diuites, si sibi nihil retinere iure euangelico potuissent? Rursum, qua consequentia tributa dari iubet principibus, si omnia esse debebant omnibus communia? Quod si verum esset, iam nullus esset furto locus. Perperam itaque Paulus dixisset: Qui furabatur, iam non furetur. nec vetare potuisset cibum sumere cum excommunicatis, si suo iure per rerum omnium communionem re sua vti voluissent. Ad hæc, quid opus est præcepto illo iustitiæ, quo iubemur vnicuique reddere debitum, cùm nihil sit alienum, sed omnia

in com-

in commune possideantur ? Vides abyssum errorum profundissimam ex hoc vno fonte prodeuntem. Dicas id potius somniasse beluas, quàm homines pronunciasse. Nam qua mente istud præcipiendum esset, quod Christus ait: Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & sequere me: cùm à se nihil abiiceret, neque aliquid quod suum non sit acquireret? Hi si naturam ducem sequerentur, aut scintilla in eis superesset rationis: intelligerent prius stabiliendam esse charitatem, vimque omnem & cupiditatem tollendam è pectoribus hominum, priusquàm omnia in commune proponerentur. Quod minimè expectandum esse docet, qui ait: In nouissimis diebus refrigescet charitas multorum. Sed nec statim recipi potest bonorum communitas, vbi non adsit integra charitas. Nam regnante cupiditate, nulla lege contineri poterit hominum fraus atque violentia. Erit autem lex (vt in canone cauetur distinct. quarta, imò & in cordibus hominum scriptum est) honesta, iusta, possibilis secundum naturam & consuetudinem patriæ, loco temporique conueniens, & pro communi ciuium vtilitate conscripta. Ea siquidem ipsa natura, quæ moribus per innocentiam pacatissimis rerum communionem probabat: rebus vt nunc stantibus eam tanquam inutilem, imò & impossibilem, summopere damnat & reprobat. Hoc intellexit Abraham, cui satius visum est secedere, longeque abesse à cognati sui prædiis, quàm gliscentibus iurgiis & odiis diutius cum illo immorari. Ne forte (inquit)

 sit iur-

sit iurgium inter me & te, interque meos tuosque pastores. Fratres enim sumus. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam. Vide quàm longè aberat pius ille ac prouidus patriarcha à possessionum communione. Id quod nemo non videt, nisi qui sit propria philautia excæcatus & nequitia. Hi scilicet sunt hæretici apostolici, immò verius Apostolorum simiæ: qui (vt Augustinus libro de hæresibus ait) se isto nomine arrogantissimè vocauerunt, eò quòd in suam communionem non reciperent res proprias possidentes, quales habet catholica ecclesia. Sese ab ecclesia separantes, nullam spem relinquunt his, qui rebus vtuntur, quibus ipsi carent. Hos etiam libro de moribus ecclesiæ capite tricesimoquinto in albo Manichæorum conscribit idem diuus Augustinus eiusdem erroris nota inustos. Verùm (inquiunt) quid opus est magistratu, si omnes essemus (vt esse debemus) iusti & pij? Fateor equidem: sed istud à parte mea stat, sequens enim est, quòd cùm constet multos esse peccatores, ideo opus esse magistratu. Præstent igitur quod optant. quod tam parum possunt quàm vniuersum absorbere pelagus. Tum demum decernetur super constituendis destituendisve magistratibus. Immò verò etiam si præstare possent, non tamen esset abroganda potestas, quæ inter angelicos spiritus gradum, suum tranquillo ordine seruat. Quid quod inter ipsos dæmones species quædam principatus obseruatur & gradus. Et nos admittemus quod exigunt? Absit hoc ab humano conuictu tam graue tamque

insolens

insolens delirium. Sed quomodo id præstabunt? Christum ne mendacij arguent, qui ait: Necesse est, vt veniant scandala? quique in ecclesia quinque fatuas constituit, & quinque prudentes virgines? Quin & Christum reprehendant, qui ait: Si peccauerit frater tuus, corripe. qui si non audierit: dic ecclesiæ, à qua habeatur pro Ethnico & Publicano. Tollent igitur stupidi isti homines omne de ecclesia fulmen excommunicationis. Cessantibus enim lege & magistratu, nullus erit coertionis locus. Hæc tam multa tamque absurda cogunt nos desiderare in stupidis istis ingeniis sensum etiam communem: ad cuius restitutionem tota illis opus foret anticyra. Hippocratem potius, aut Galenum huiusmodi deliria ad sui medelam requirunt: quàm pium aliquem religiosumque monitorem. Hellebori effusam dosim largamque mensuram eos præsumere oportet, vt sua ipsorum profunda deliria agnoscere possint. Qui, vt in suo errore certius persistant, errantes ipsi & alios in errorem mittentes, diabolico haud dubie commẽto, signum aliquod sibi adinuenerunt, quo alios in suam nassam traherent: neglecto scilicet pædobaptismo, tinctos retingerent, ex priore facinore Anabaptistæ, ex posteriore verò Catabaptistæ, hoc est, superbaptizantes appellati, cùm illoti potius & sordidi dici debeant. Totius ergo seditionis tessera, pestilentissima est illa retinctio: quam maligno spiritu vsque ad vesaniam agitati, sectarij illi, vt suos ab aliis dignoscerent, adinuenerunt: viam salutis præcludentes, cum summa

etiam impietate paruulis (quos tamen Christus perspicuo oraculo sibi gratissimos esse pronunciauit) remedium Christianis denegantes, plus circuncisioni tribuentes quàm baptismo: innocentibus martyrij palmam inuidentes, quod scilicet fide carerent: atque omni tandem se suosque veri baptismatis priuantes præsidio, dum nec ecclesiæ intentionem tenent, nec formam obseruant: Turcicam in ea parte tyrannidem superantes, nec sibi nec aliis baptismi permittentes remedium. Denique omnia sibi impudentissimè arrogantes, atque adeò procaciter & ceruicosè, vt cæteris præcludant (nisi qui secum sentiunt) omnem aut adipiscendæ aut tuendæ salutis spem & expurgationem. Hæc omnia incommoda fouit, primùm indigesta scripturæ lectio, temeraria & (nullo dirigente authore, nullaque prudentia, nisi carnali aut diabolica comite excogitata interpretatio. Hos scilicet fœtus primùm quidem fouit, ac deinde peperit Lutheranismi licentiosa plus satis pestilens ac fœda colluuies. Mirabile dictu: ea, quam ipsi ex se protulerunt, soboles nihil aliud, quàm hostile aduersus eos meditatur. Nec mirum, cùm sint viperarum genimina. Ideoque merito illis sunt pro sudibus, spinis, & aculeis perpetuò versantibus ob oculos. Ita enim oblique taxantur ab Anabaptistis, vt noui appellentur euangelici: & meritò noui, qui neglecta priscorum authoritate, suo tantum marte omnia aut euertant, aut corrumpant: adeò vt nullo aptiore nomine censendi veniant, quàm pseudeuangelicorum, scripturariorumque, sed personatorum tantum ac laruatorum.

torum. Discant saltem Lutherani ex fructibus suis seipsos agnoscere: idque esse verius verissimo nunquam fieri posse, vt colligant de spinis vuas, aut de tribulis ficus. Mirum autem est, quo furoris œstro stimulatæ hyænæ istæ sæuissimæ spem salutis ac gratiæ baptismalis à paruulis nondum pleno rationis vsu illustratis, totam adimant. Primùm enim omni fera crudeliores palam se esse ostendunt, qui suis patribus viam salutis præcludunt: qui quotquot sunt, quotque in orbe Christiano fuerunt viri sanctissimi, lauacro infantili contenti ex hac vita migrarunt: quos omnes malè periisse fateri habent veri baptismatis inficiatores perniciosissimi, cùm nulla vsi sint retinctione, accedente vsu rationis, quam isti suo commento necessariam esse ducunt. Quid igitur? His ne solis cœli fores patebunt, exclusis inde reliquis, qui pædobaptismo fuere contenti? Hoc planè delirio nihil cogitari potest absurdius. Nec satis illis visum est, si sæuirent in æternam patrum suorum memoriam (quos vero baptismate ablutos esse negant, ideoque regni cœlestis expertes inuerecundè profitentur) nisi etiam atrocius inueherentur in proprios liberos, quibus denegando baptismum, vnà & christianismi nomen auferunt & gloriam; & cœlestis regni præcludunt aditum: Turcis etiam deteriores, qui alterius à se religionis filios fouere, alere, & educare non formident. Proinde nullo non supplicio adigendi sunt, vt suos statim à natiuitate liberos lustrico fonte abluendos in Christi verba, piorum saltem præsidio, iurare compellant. Neque id mirum: cùm

çapitale sit apud principes quoscunque laicos ab eorum fiduciariis legibus colla subducere, & alieni principis sectam factionémque sibi vendicare. Quis enim ferat, si Christianus Ethnicum generet, & genitum in sua infidelitate alat & foueat, & æternæ beatitudinis (si inter moras decesserit) aditu perpetuo priuet? Quid enim inde spei superest, quando nucleo salutis amisso, sola pignoris relinquuntur corporis putamina? Statim delenda est hæc pestis & eradicanda de toto areæ Christianæ theatro, imò & de terra viuentium. Eisque sub interminatione mortis etiam seueræ, illud iniungendum est: Afferte domino filij dei, tametsi rebelles, afferte domino filios arietum. Afferte domino gloriam & honorem: gloriam scilicet nomini eius, cuius participes efficiantur per sacri baptismatis lauacrum. Vox enim domini super aquas baptismi: deus maiestatis intonuit: dominus super aquas multas. Et hi Pharaone deteriores, suis liberis Christianum nomen inuidentes, sacri fontis immersionem denegant, quos perpetuæ damnationis abysso submergi malunt, digni profectò, qui çum Pharaone & toto suo exercitu deiiciantur in pelegus maris, molæ etiam asinariæ alligati. Imò & summum pietatis genus est in ea re fuisse crudelem, si post proclamationem factam citius dicto iustissimo mandato parere detrectent, eradicandi quàmtocyus, vna cum omnium istarum seditionum sectarúmque asylo, malorúmque omnium lerna, ac tricipiti Cerbero, ac portentoso monstro & tricorpore Gerione, Luthero inquam, Bucero, ac Melanchthone. Sed ad rem redeo.

Illud

Illud saltem negare non poterunt, quod in Romanis cap.5.Paulus ait: Non sicut delictum, ita & donum. Nam vnius delicto, dei donum in gratia in multos exuberauit.Si ergo vnius delicto paruuli citra omnem suam operam peccatum contraxerunt: cur non exuberante baptismi gratia fiet, vt ipsis nihil cooperantibus gratiæ baptismalis capaces efficiantur? præsertim cùm Paulus dicat apparuisse gratiam Christi saluatoris, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis.Et hoc est quod dicere solemus, ex operato,non ex operante.Quæ quidem assertio non ab humano commento(vt impudenter hæretici mẽtiuntur)sed ab ipsissimis Pauli verbis processit.Cui alludens Oecumenius in Paulũ sic ait: Mors, sumpto ab Adam exordio,aduersum omnes præualuit: Christi verò gratia, etiam sine nostra cooperatiõe, ad omnes peruenit. Nec id dixisse Paulus contentus,adiungit: Sicut per vnius delictum in omnes homines,etiam nondum ratione illustratos,ad condẽnationem: ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ, exuberantia gratiæ & donum iustitiæ peruenit. Si igitur exuberat gratia delictum: necesse est, vt ipsi quoque sint capaces gratiæ,etiamsi infantuli, qui in ea ipsa ætate capaces fuere delicti. Quod ipsum hac tertia sententia confirmat, inquiens: Vt per inobedientiam vnius hominis constituti sunt multi, etiam pueruli: ita per vnius obedientiam iusti constituẽtur multi. Cui & illud accedit, quòd cùm exuberet gratia baptismalis circuncisionis priuilegia & cõmoda(quę

tamen

tamen octiduanum puerum suo præsidio infusa gratia purgabat ab originali) nemo dubitauerit parẽ inesse baptismo facultatem & gratiam. Quo fit, vt capaces sint infantuli veri baptismi, vt olim apud Hebræos circuncisionis. Ad hæc saltem verba assurgat & expergiscatur lethargica retinctorum somnolentia. Quibus si ista minus sufficiant: scrutari etiam debebunt Christi saluatoris oraculum non vna assertione contentum apud Matth. 18. & Marcum. 10. itemque apud Lucam: vbi Christus accersiuit puerulum, amplexatus est illũ, aliosque impositis manibus benedixit. Quis hic nõ videat paruulos istos tũ fuisse omni labe purgatos, ita vt impositio manuum illis fuerit vice baptismi, qui aliâs etiam poterant esse circuncisi? Quid nisi recepissent gratiam à Christo, nunquam eos in exemplum dedisset profundæ & quadantenus absolutæ puritatis. Adde & id quod sequitur: Qui se humiliauerit, sicut paruulus iste &c. Id certè nemo diceret de filio Turcæ nullo baptismate regenerato. Erat igitur paruulus ille à culpa immunis, vtpotè gratiæ sacramentalis capax. Nec parum ad id facit, quod mox sequitur: Quicunque susceperit vnum talem puerum in nomine meo: me suscipit. Nemo certè recipi potest in nomie Christi, nisi ipse fuerit Christianus. Sunt igitur Christianismi capaces paruuli. Quin & duo statuit, quòd scilicet puerulus sit nondum doli capax, & talis puer sæpe renatus, & à culpa originali ablutus. Quin & ad cumulum honoris & gloriæ, quæ ex suscepta gratia ipsis competit Infantibus, singulari quadam obseruatione adiungit: Videte ne cõtemnatis vnum ex pusillis istis. Id

quod

quod nemo intelligeret de Ethnicorum infantibus. Nam & hoc sequentia declarant: Dico enim vobis, quòd angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Super quo Theophylactus ait: Adeò enim hi diliguntur à domino, vt angelos habeant præsides, ne damnum accipiant à dæmonibus. Omnes enim homines, & maximè fideles, suos angelos habent. Cui sententiæ Euthymius accedēs ait: Inde manifestum est iustos habere angelos custodes. De aliis nunc non contendo. Neque enim est huius ocij super ea re profundius inquirere ac pronunciare. Id vnum cōmonstratum esse volui de paruulis, & his quidem iustificatis, ad præsens haberi rationem. Sunt igitur capaces pueruli gratiæ etiam baptismalis. Confundantur igitur & reuereantur impij Anabaptistæ, qui volunt eis mala. Erubescant insuper & delitescant impiæ prolis parentes pestilentissimi Lutherani: qui tales tamque sceleratos ex se fœtus prodire fecerunt. Hæc enim vniuersa impietatum vorago, hæc lerna malorum, hæ seditionum lacunæ à temeraria laruaque scripturarum interpretatione domi nata, nec de patrum fontibus hausta, redundanter processerunt. Discant igitur à patrum maturiore sententia potius, quàm à propriis ac commentitiis pendere imposturis. Illud quoque pro cōstanti perpetuò teneant, partem credendorum non infimā, non solùm pendere ex apertis scripturæ locis, verumetiam ex primitiuæ ecclesiæ ad nos vsque deuolutis sanctissimis traditionibus. Quales sunt hæ omnes, quæ ex priscis authoribus ab initio obseruatæ narrantur, traditiones, missæ scilicet sacrificia, cœlibatus sacerdotalis, pro

defunctis oblationes, diuorū veneratio, summi pōtificatus à Christo institutio per continuam à Petro successionem, & alia id genus numero non exiguo ecclesiæ dogmata: quæ tamen impudentissimus, & fidei desertor & voti Oecolampadius, audet in superstitionū catalogum retūdere ingenti suo malo, & æterna suæ memoriç infamia. Quas blasphemias eum euomuisse credibile est, vt saltē aliqua ex parte gratiā Anabaptistarū sibi cōciliaret, vt iūcta acie aliquādo orthodoxorum castra inuaderent, & graue in se conceptum odium minueret: liceretque ei paucis cum dētibus ab intētata cum Catabaptistis contentione reuerti, à quibus malè audierat, vel hoc vno nomine exprobrante quodam Anabaptista, atque his verbis eum traducente: De cœna (inquiens) dominica nescio quid certaminis inuistis, cùm digladientes de lana caprina ex pane diuinum numen facientes, ita vt nullus esset contentionis finis. Docuistis (inquit ille) panem esse, & manere panē: iam Christum ipsum ex pane illo constituere vultis. Hæc ille. A quibus se nullatenus potuit extricare egregius ille agonistes Oecolampadi⁹. Hoc solum habuit vt diceret: Ex te ipso non habes ea, quæ iam exciderunt. Dominus tibi ignoscat. Sicque magna cū laude (id superi norūt scilicet) in ea causa peroratum est. Quod tamen dissimulauit Oecolampadius, illud recantauit Bucerus. I nūc, & crede superficiariis scripturæ interpretibus. Quin potius ad vestigium sequere germanam scripturæ intelligētiam ex communi patrum priscorum cum recētioribus communi consensu depromptam. Tibique persuadeto Lutheranam factionem nihil habere cum

cum catholica & apostolica ecclesia commune. Id quod manifestissimis comprobatur argumentis.

Primùm, catholica ecclesia est, cui dictum est: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Lutherana verò colluuies, more viperæ discerpto matris vtero, heri tantùm nata, in ipso fine seculorum initium habuit.

Secundò, catholica ecclesia natum Lutherum regenerauit: Lutherana verò, duce diabolo, comite Luthero, generata est. Qui igitur erat filius veræ ecclesiæ, genitor & author factus est huius secundæ. Hic igitur matre deserta aliam, quam impiè genuit, pestilentissimè fouet. Illa mater fuit, ista filia est Lutheri.

Tertiò, catholica nostra ecclesia statim à suo ortu, per totum orbem diffusa est: Ista verò coartata & angusta in vnũ angulum Aquilonis cõtrahitur, ibiq; suã anachoresim exercet, nihil aliud q̃ vi erũpere gestiens. Interim clausis adhuc belli portis,

furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum uinctus ahenis
Post tergum nodis fremit horridus ore cruento: nihil aliud quàm dissidia fouens, & zizaniæ seminaria spargens.

Quartò, hęc nostra ecclesia dispersa colligit: ista verò collecta dispergit. Illa pacem: ista nihil aliud meditatur, quàm seditionem. Illa apud Austrũ Donatistas perdidit: ista apud Aquilonem Donatistarum extinctos pridem cineres exuflando se extulit & erexit. Illa toto orbe catholica, ista in suo Aquilone contracta.

Quintò, orthodoxorum ecclesiæ vna mens, vnus animus,

animus, vna sententia, vnus in fide & moribus consensus, sub vno pastore vnus populus: in Lutheranorum castris quot capita, tot sensus: quot scripta tot antilogiæ: nulla dictorum factorúmve constantia, nisi quòd eorum congregatio solùm constans mobilitate sua est. Omnia vacillãt, nutant apud eos omnia. Ita vagi variique sunt, atque instabiles: vt nec secum ipsi constare possint, nec sibi quidem ipsis consentire aut velint aut audeant. Modò aiunt, modò negant: modò cupiunt, modò abhorrent. Lucida obscurant, syncera contaminant, aperta cõuoluunt. Omnia denique suis imposturis obnubilant. Et in his omnibus suo hæresiarchæ Luthero sunt per omnia similes, qui locis passim innumeris vsque adeò sibi dissimilis est, imò contrarius: vt vnus ipse Lutherus pro perpetuo antiluthero meritò habendus sit, nihil aliud dicens aut docens, quàm falsa veris, aut vera permutare falsis.

Sextò, Ecclesia catholica intra aream domini se continuit & continet, ipsa ponderibus innixa suis. Verum siquidem triticum leui vento se transferri non patitur. Adulterinæ verò plantationes hæreticorum, nulla radice fundatæ, veluti inanes paleæ, leui vento se transferri permittunt, iuxta diui Cypriani grauissimam sententiam, ita in simplicitate prælatorum dicentis: Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hæc ille.

Septimò, vera Christi ecclesia ab Apostolis designatum ordinem per episcopos, presbyteros, diaconos sequitur: de istis nescias qui sint, aut vnde

venerint: Se spurios fateantur necesse est, quorum nemo queat patriam monstrare parentis, patris inquam legitimo ordine instituti. Vt enim Cyprianus ait, Ecclesia est in episcopo, & episcopus in ecclesia. Qui igitur caret episcopo, eundem ecclesia etiam carere necesse est. In ecclesia nemo assumit sibi honorẽ, sed qui vocatur: Ipsi à quo vocati sint, nullo designare possunt indicio.

Octauò, Ecclesia Christi germana suã habet Eucharistiam, suum baptisma, suumque sacerdotium. Illi cùm sacerdote careant, Eucharistiam minimè conficiunt. Cùm formam ecclesiæ in baptismate negligant, & ab eius intentione recedant: vix vero etiam baptismate vtuntur.

Nonò, ecclesia orthodoxa, omnium hæreticorũ sectas à se ꝓcul esse iubet & abigit: Lutherana verò colluuies omnes omnium hæreticorum errores in vnam recipit lacunam, in hoc deterior effecta: quòd illi simplices sectabantur errores; hæc verò omnium est sentina hæresum.

Decimò, catholica ecclesia priscorum patrũ assertionibus adhærens, illos ad vestigium sequitur: ista verò tota diametro ab eis recedit.

Vndecimò, Orthodoxorum ecclesia licentiam damnat Antichristianam: quos perditos agnoscit esse, moribus ingenuè castigat & coercet: sepes cõstitutionum vitiis opponit, ne feræ bestiæ agri dominici segetem sæuientes inuadant, terantque, & conculcent. Apud istos autem, nulli sunt canones, nullæ leges: sed sola licentia regnat, sola libido furit, sacrilegia, furta, rapinæ, ius solùm est in armis in libertate peccandi. Denique orthodoxam, catholicam,

licam,& apoſtolicam eccleſiam (quæ ab Apoſtolis ad finem vſque ſeculi ſine intermiſſione perdurat, & in fines vſque orbis terrarum diffunditur) fides genuit,ſpes fouit,pietas aluit, charitas auxit. Huic autem diabolicę factioni, ortum dedit initium omnis peccati ſuperbia,fouit,aluit,& auxit radix omnium malorum cupiditas.Vt ergo rem totam breui epitomate concludam: en tibi delectum veræ eccleſiæ ab adulterina: hoc eſt, veteris à nouella, orthodoxæ à ſeditioſa.

Duodecimò, vera eccleſia patres reueretur,pios ſectatur,ſuos paſtores audit: nouella laruas tantùm paſtorũ habet,nec ſe nec alios audit,perpetuò meram impietatem fouet. Illa ex hominibus rationis tamen capacibus,qui etiamſi labantur, ſuum errorem agnoſcunt,iuſtitiamq́ue, etiamſi nonnunquam careant, ſuſpiciunt tamen, & reuerentur: bona tamen ex parte iuſti & æqui obſeruatoribus conſtituitur. Iſta ex beluis etiam cruentiſſimis, luxu ac furore vice rationis vtentibus.

Decimotertiò,vetus eccleſia, & ea quæ nunc eſt, ſemper ſecum conſtant: nouella iſta nunquam non ſecum contraria pugnat.Illa & ſe & alios libenter audit: iſta contemptis aliis ſeipſam vix audire poteſt.Illa ſcripturam recto, & piorum conſenſu probato,intellectu recipit: Iſta propriis tantùm ſeruiens affectibus, modò vnum, modò alium ſenſum in quanuis partem vacillans admittit. Illa ſibi cõſtat: iſta ſemper fluctuat.Illa in fide nunquam deſipit & moribus, iſta in his maximè labitur in præceps. Illa catholicis: iſta non niſi hæreticis coaleſcit. Illa ſynceros & integros amplectitur authores:iſta trũcatim

catim eos dimembrat ac dilacerat. Illa libertatem potiſſimum à vitiis ſibi aſſerit: iſta licentiam plusquam Antichriſtianam per omnes ſcelerũ gradus ſibi impudenter tribuit. Illius diſciplina & pietas ridetur ab impiis: iſtius veſania atque infamia reuelatur quibuſcunque etiam exoculatis & cæcis. Illa à propria cõſcientia: iſta conatur ab externis tãtùm pẽdere iudiciis. Illa æterna ſemper adoleſcit: iſta externa & barbara nõ niſi in deterius proficit. Illa fide nititur atq; operibus: iſta verborũ fucis vaniſque tantùm ſermonibus. Quod ſi quis fortè diffidit, ex vno cætera diſcat. Illud enim certiſſimũ eſt, ſemper ſibi conſtare eccleſiã à principio per mediũ vſq;: vt Irenæus tradidit lib. 3. cap. 41. Id reipſa deprehẽditur in his, quibus incõcuſſè adhęremus, catholicis dogmatibus: quibus oẽs vnanimes vno ore cõcertamus ad oïa, quæ iubent exequenda, parati. De Luthero verò ac Lutheranis, ĩmane q̃ ſui nũquã ſimiles, ſępius omni numero à ſeſe diſſentiant.

Vt autem ab hæreſiarcha, & totius hæreſeos fonte incipiam (nam à capite primùm piſcis fœtet) Lutherus aliud dormitans ſomniat, aliud vigilans ſecumque cogitat: aliud meditatur, aliud loquitur: vnum apud ſe ſtans decernit, ſedens verò diuerſum ſcribit. Moxque quod ſcripſit, obliterat. Nec multò pòſt quod litura deleuerat, prodit in lucem. Sed quid opus teſtibus? cùm frequentiſſimè quæ ſtatuerat deſtruens, præuaricatorem ſe eſſe demonſtret, vt idem ſit Lutherus qui & Antilutherus. Nec in eam rem opus eſt teſtibus, cùm ipſe in ſuis ſcriptis vnus ſit inſtar omnium, qui quæ vno loco deſtruxit, alio reædificat. Tertiò verò perpe-

ram dicta transformans, mutat quadrata rotundis. Denique quicquid ab eo desideres, facilè impetrabis: modò te ab ecclesia refugam aut statuas aut fingas. Iam videamus qualis ipse ad suos, qualesque illi se gerant apud eum. Bucerus egregius ille & fœdifragus & votifragus, modò stans à parte Zuinglij insultat Luthero: modò deserto Zuinglio, Lutheri partibus hæret. Bucerus inquam ille vesani patris filius impius, mali corui ouum pessimum, dignumque tali patella operculum. Sed hunc miris laudibus commẽdat Philippus Melanchthon, re ipsa & cognomento atrum colorem exprimens. Pingit quidem eum, sed succo tantùm loliginis, vt carbo cretam dealbare solet. Hoc enim ei præstat, quod fulloni carbonarius: dum scilicet præfert cœlibatui monastico suum cum moniali Elizabetha, non dicam coniugium, sed adulterium. Sic alba denigrare solet, & nigra loquendo dealbare. Quid audio? Censebitur ne pium Elizabethæ Buceri, hoc est, impiæ impij, sacrilegæ sacrilegi, incestæ incesti, refugæ desertoris, votifragæ fœdifragi, denique scorti cum scortatore, sordidissimum commercium. Vbi frons impura, vbi erat mens cæca Philippi, cùm isthæc impudenter proferre auderet, atque etiam mittere in literas? An stipitibus aut truncis se loqui existimat, dum pro sacris prophana obtrudit? Quomodo non veretur irati in se numinis fulmen dicentis: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem in tenebras, & tenebras lucem. Qui si deum non timebat: homines saltem reuereatur, qui furca dignum scelus hoc, prolatis in eam sentẽtiam legibus

bus,ostendunt. Ait enim imperator de episcopis & clericis C. Si quis, non dicam rapere, imò verò attentare, etiam iungendi causa matrimonij sacratissimas virgines ausus fuerit: capitali pœna feriatur. Cui accedit Iustinianus in.l. Raptores, capitali supplicio plectendos decernens huiusmodi sacrilegij infamia notatos. Ne verò ad solum raptum pœnam hanc referas, obstat lex ab eodem lata constitutione vltima nonæ collationis in authenticis: Si quis (inquit ille) rapuerit, aut sollicitauerit, aut corruperit Ascetriā, aut diaconissam, monastriā, aliámve fœminā, venerabili habitu ornatā: is simul cum sceleris participibus capitaliter puniatur. Mulier verò cum propriis rebus monasterio recondatur, & custodiatur, ne rursus in codē crimine deprehēdatur.

Ecce tibi ob oculos Philippe egregiū illud mirificè à te commendatum, sed stupro contaminatum coniugium. Cauisse te saltem oportuit, quod à lege imminet sceleris participibus, capitale supplicium. Hæc pie lector dicta sunt, vt intelligas Christi sententiam huc maximè conuenire, qua ait: A fructibus eorum cognoscetis eos. Vt tandem finiam, nihil ab eis expectes, nisi meracissimas Christianismi laruas, meros fucos, meras imposturas, zizaniorum agrum, seditionum lucum, lacumque conuitiorum, & errorum genus omne ac blasphemiarum. Contrà verò, catholica, quæ ab Apostolis ad nos vsque peruenit, ecclesia manet, æternumque manebit Christo sponso perpetuo innixa. Cui⁹ laus, honor, maiestas, & imperiū patri sanctoque spiritui coæternū, nec vllo mētis humanę cogitatu, nec vllis ætatū curriculis cōprehēditur. Amē.

SEQVVNTVR SATISFACTIONES duæ ad D. Franciſcum Baptiſtã Candelarium, Senatus Rothomagenſis Senatorem conſultiſſimum.

Prior ſatisfactio.

Subſtiti aliquãtiſper, cõſultiſſimorũ eruditiſſime, nonnihil ſubueritus, ne intẽpeſtiuũ forſan iſtud ad te ſcriptũ nauſeã pareret: niſi ꝗ mox omnem à me hæſitãtiæ nubẽ depulit ſpes futuræ breuiloquentiæ. Quã obſeruaturus, capita rerũ attingere potius, quàm totam (quæ latiſſimè patet) aream decurrere, animo conſtitui: mecum ſcilicet cogitãs Phocionis breuiloquentiam imitandam fore, ſic tamen imitandam, vt ne dum breuis eſſe laboro, obſcurus fiam. Dabo tamen cum Phocione operam, vt breuiſſimè dicenda abſoluã, eum ipſum imitatus, cui cùm diceretur: Vidêre cogitabundus, ô Phocion. Recte, ait, coniectas. Cogito enim ſi quid queam detrahere hís, quæ dicturus ſum apud Athenienſes. Pauciſſimis itaque ea, quæ ad rem facere videbuntur, complecti ſummis viribus enitar. Neque enim (opinor) tuæ dominationi graue fuerit vnius horulæ à prandio faſtidium excutere, tuumque in huius ſchedæ lectione oblectare otium.

Vt igitur in ipſo ſtatim limine huic accingar operi: gratiã habeo, cui referendæ me ꝓfitear imparem, egregiæ iſtius, qua me dignatus es, ſecũdò ꝓlatæ ſuper re controuerſa monitionis. Quæ quantũ apud me valuerit: ex his, quæ mox dicenda ſunt, facilè percipies. Si cui forſan diplicet fulminis in-

ſtar

ſtar ingruentium (vt ſic dicam) aduerſus ſchiſmaticos obiurgationum impetus, quibus per tumultũ obrui magis, quàm leniter erudiri videntur hæreſum nouatores: ſi inquam hoc ſolum quempiã offendit: do manus victas, cedo arena; formulam interim deſiderans, qua hæreticum in ſua identidem hæreſi deprehēſum admonere cõueniat: vt eũ tandē, ſi qua fieri poſſit, ab inueterato errore deturbari contingat. Ego verò quoties mecũ reputo, quibus verbis retundēda veniat à tot iam inde annis oppugnata, nũquã tamē expugnata, peruicacia: nõ inuenio, qua verborum aut arte aut dulcedine peſſundari queat aut ſupprimi. Nam veluti ſi guttatim aqua ſuper ignem iampridem accenſum ſtillauerit, vix aliquid efficiat, vnde ſedari poſſit incendiũ: ita certè molliter infuſa verborũ ſuauitas, ignem iſtum potius irritauerit q̃ extinxerit. Vt enim manifeſto colligitur exemplo: Si fabrili, iam ardente foco multa iã flabelli agitatione accenſo, guttularum quædã acceſſerint aſpergines: voraciſſimũ ignis ardorem augebunt, & acuent poti⁹, q̃ vel cõminuant vel obtundãt. Magna igitur flãmæ retundendæ inundationis copia opus eſt, quã vix inundantia flumina vel latiſſima vndarũ impluuia ſupprimere poſſint. Fateor equidem nihil eſſe in orbe Chriſtiano odioſius aut hæretici aut ſchiſmatici, & eo quidē frequētius nominatim repetito, conuicio. Verùm quid facias, aut quo (niſi hæreſeos) nomine appellaueris eũ, qui ex diametro fidei orthodoxę aduerſatur, errorē? Crediderim ego iniuria nõ carere eam ſententiam, qua quis criminis lęſæ maieſtatis reum, furti tãtùm ſimplicis, aut leuioris alicui⁹ culpę titulo nocētem dã-

 nare

nare auderet. Nec secus huius sentẽtiæ authorem à regiæ maiestatis fastigio, q̃ pessimè auditurũ: ꝙ scilicet summi criminis reus, leuioris culpæ titulo dãnetur. Qua igitur nota diri huius criminis laruã inuram, nisi appositis verbis propriisq́; nominib⁹, assequi nequeo. Nec pręter rem fecisse videbor, si toties me errãti opposuero, quoties palàm fuerit eum delabi in errorẽ. Nam silentiũ ea parte mihi ꝓ culpa imputaretur: vbi videlicet reliquos taxans errores, vnũ aliquem per cõniuentiã præterire viderer. Testẽ voco apud tuã dominationẽ vsu iam protritum canonẽ: Qui tacet, cõsentire videtur. Nã (vti alio loco dicitur) error cui nõ resistitur, approbatur: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Quid enim prodest ad pauca esse vocalẽ, ad plurima mutũ? Imò plus crederem me silẽtio nociturum, si vel minima in parte proprio deessem officio, q̃ in reliquis loquẽdo profuturũ. Tritum enim est: ꝙ qui offendit in vno, factus est omniũ reus. Plus etiã officit dissensus vni⁹, q̃ consensus multorũ. Siquidem bonũ est ex integra causa, malum verò ex defectu. Nam quid (quæso) profuerit reliquo igne extincto cõmittere, vt vna scintilla supersit, qua iam extinctũ suscitari possit incendiũ? Oportuit igitur aut tacuisse omninò, aut quoties hæreseos digna nomine culpa se offerebat, suis eam depingere coloribus.

Dum autem me confers his, qui toto scripturę sacræ decursu magnificis virtutũ titulis honorãtur, patribus: perinde mihi conari videris, atq; si muscã elephanto cõferres, surculum syluæ, riuulum pelago, & immenso igni scintillã. Qua in re vereor admodum,

modum,ne animi cãdor ille tui tibi impoſuerit: niſi fortè pro ea(quæ in te abundat) circunſpecta prudentia,me non qualis ſim,ſed qualem me eſſe oportea, ſubmonendo clamq; adhortando depingas: vt adhortantis perſonã potius,q̃ laudãtis,hac parte ſuſtineas. Cùm igitur tam longè abſim ab his,quorũ virtutes zeli ardorem,vitæ ſanctimoniam,principatus excellentiam,mihi proponis,quàm qui maximè: latiſſimum illum exemplorum campũ præteriens, in aciem deſcendo, periculũ facturus, ſi qua fortè ratione fortiſſima illa tela retũdere,aut ſi minus id dabitur,quadantenus ſaltem auertere poſſim.

Opponis igitur primùm Chananæorum populũ, ob inſignẽ impietatẽ non vna morte tantùm dignũ, ac veræ religioni infenſiſſimũ, quadã ſuauitate ac mititate ab Iſraelitico populo, nec ſine occulta vi numinis,fuiſſe receptũ. Fateor equidẽ hanc noxiam populo Iudaico indulgentiã fuiſſe permiſſam vi numinis, ſed ob neglectam ac cõtemptui habitam religionem vehementer irati(vt conſtat Iudicum.2.& 3.ca.)magno certè eorum incommodo,& graui eorum iactura. Sic enim ait Ioſue capite 23. Si volueritis harum gentium, quæ inter vos habitant,erroribus adhęrere, & cum eis miſcere connubia,atque amicitias copulare: iam nunc ſcitote, quòd dominus deus veſter non eas delebit ,ſed erunt vobis in foueam ac laqueum & offendiculum ex latere veſtro, & in ſudes(aliâs in rubos) in oculis veſtris. Et ob eam cauſam non vno loco dominus diſtrictè præceperat, vt quàm poſſent accuratiſſimè, gentes illas domino odioſas à ſe expellerent: nempe Exodi vigeſimotertio.34. Deuteronomij.7.

Non habitent, inquit, in terra tua: ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorũ, quod tibi certè erit in scandalum. Aras eorũ destrue, confringe statuas, lucosq́; succide, nêve habeas pactũ cum hominibus illarum regionum, ne postquam fuerint fornicatæ, fornicari faciant filios tuos in deos suos. Iam verò vtinam blanda cum hæreticis colloquia, aut quauis occasione percussa cum eis fœdera, & inita cõmercia, non magna ex parte alienassent catholicę puritatis synceram religionem. Id quod minimè accidisset, si diligentius adhibita opera abstulissent, qui facilè id exequi poterant, Christiani malum de medio sui. Idq́ue eò facilius, quàm olim Israelitę: quò promptius est à sua vicinia teneram adhuc euellere spinam, quàm veteres colonos suis sedibus exturbare, & longo iam tempore vepribus obsitos agros repurgare. Id quod erat Iudaicæ plębi multò difficilius. Quid enim inde sequutum est? nempe quod Psalmista ait: Commixti sunt inter gẽtes, & didicerunt opera eorũ. Quod autẽ Iudicũ. 2. legitur, Dominũ noluisse statim delere gẽtes, sed in longum tẽpus distulisse: huius tãti mali causa extitit, populi Israelitici lenta segnicies, & minus iusto erga deũ neruosa fiducia: vt quẽ non modicè idem Iosue increpauerit ca. 18. Vsquequo marcetis ignauia, & nõ intratis ad possidendam terram, quã dñs deus patrũ vestrorũ dedit vobis? Fronte enĩ (vt dicitur) capillata à tergo occasio calua est. Ideoq́; tãtùm abest, vt nobis aduersetur prolatũ huiusmodi exẽplũ, vt etiã euicat citra omnẽ cũctationẽ grauissimũ istud ĩ orbe Christiano sũmo cũ dedecore religionis ac verę pietatis obortũ scãdalũ, q̃ citissimè

fieri

fieri possit, collectis omnium orthodoxorum viribus explodendum atque exturbandum, & in extremos potius orbis fines & loca (vt sic dicam) ipsi inhospita phœbo accuratissimè relegandum. Quam enim ob causam (obsecro) malè audiit Saül à Samuele, nisi quòd Agag Amalechitem, quem confestim exterminare debuerat, impia quadam pietate leniter excepit? Pro eo (Samuel inquit) quòd abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus, ne sis rex: scidit dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Hinc videre est, quantũ displiceat religionis contemptæ vltio. Proinde ira dei altius insedit animo, quàm vt flecti potuerit aut diuelli, seu Saülis luctu, seu etiã Samuelis gemitu. 1. Reg. 15. An nõ & hoc ipsum de Achab legitur, cui dictum est: Erit anima tua pro anima illius: eò quòd impium & dignum morte virum reseruasset? Fœlices igitur futuri simus, si nos reddiderint aliena pericula cautos. Vtique Albigesiorum, pauperum de Lugduno, ac sese flagellantium, fratricellorumq; dedecus ac molestiam nostra sustineret ætas: nisi maturè à priscæ ætatis heroibus itum illis fuisset obuiam. Qui quoniam strenua nauata opera curarunt, vt vbi fuerat ortum delictum, illic moreretur, periretque continuo: nihil iam de eorum reliquiis ad nostram peruenit ætatem, præter quædam nominum portenta & inanes vmbras. Qui autem strenuam nauarunt operam, vt citò extingueretur incendium: nullis sæculis interituram sibi famam pepererunt. Quorum coryphæus ac facilè princeps diuus Ludouicus, præter eam, quam apud nos obtinet, apotheosin, famam apud posteros

sibi

sibi conciliauit æternam. A cuius laude non longè abfuit Montisfortensis heros: qui ob egregiam in compescendis Albigesiorum tumultibus nauatam operam, celebrem sibi peperit gloriam. Quam sepulchri inscriptio abundè declarat. Ea autem est huiusmodi:

Dantur item fato, casúq; cadunt iterato,
Simone sublato, Mars, Paris, atque Cato.

His, tametsi minus politis (si sermonis tãtùm elegantiam spectenus) versiculis, laudum tamen pelagus immensum comprehenditur. Sed quorsum hęc (inquies) tam longo protracta decursu? Sanè vt ostendam, omnibus neruis intendendam esse, nec vltra differendam, plus nimio dilatam operam, ad huiusmodi seditiosorum impetus subuertendos, atque omnino conterendos. Suæ causæ aderit fidelis ille dominus, qui facit in tentatione prouentum, vt possimus sustinere: quíq; inuictis suis athletis certamē forte quidem offert, sed vt vincant, & sciant, quoniam omnium potentior est sapientia.

Vt autē reliqua prosequamur: mea nihil referre profiteor, qua ratione, quo consilio, in hæc tempora hanc nobis cladē dominus reseruauerit. Quis enim nouit secretum domini, aut quis eius consiliarius fuit? Nostrum interim fuerit fortiter in acie persistere, ac præliari prælia domini: qui ad hoc vocati sumus, vt his in faciem resistamus: quibus ita sufficere debebant sua ipsorum peccata, vt non alios etiam in discrimen adducere tentarent.

Quòd autem veterum hæresum nouatores quadā ex parte rei literariæ negotium promouisse ais, & quadantenus excitasse dormitantes: Istud certè

non

non auocat à proposito styli in eos acuendi, teliq́ue vibrandi. Imo tantùm abest vt auocet, vt ad id etiã prouocet maximè. Nam si ab ipsis primùm radicibus euulsa, aut certè nunquam oborta, fuisset Lutherana impietas (quæ nunc plusquam vellem adulta, cessantes exercet, & vndecumque quæsita volumina euoluere compellit) vtique parto ocio nobis fruendum erat. Nunc autem quando eorum furor nobis arma ministrat: quid superest, nisi instructa iam acie, paratis atque comparatis armis, præsenti iam vti occasione, & inuisas ruere in acies (vt ille ait) inimicaq́ue castra? Frustra enim conqueritur, qui patitur telis vulnera facta suis. Sibi ergo imputent heretici, qui catholicorũ turmas, alioqui quietas ac pacificas, aduersum se excitarint. Nec mirũ, si acquisito iam impetu, nequeant excitatos componere motus.

Dum autem ex me quæritur, quidnam silentibus huiusmodi fluctibus, aut curaturus aut neglecturus eram: non tam meum est id augurari quid tum fecissem, quàm quid mihi fuisset agẽdum. Quis enim aut futura prænoscere, aut de his, quæ fieri omittive possunt, diuinare queat? Nec tam scire possum quid fecissem, quàm quid actum oportuisset. Tale quidem istud est, cùm quispiam sciscitaretur à viro amico super reposcenda iniuriæ inferendæ vindicta. Si quis (inquiebat) te conuiciis in faciem obiectis onerare vellet, aut stricto inuaderet ense: quid tum haberes animi, quidve faceres? Ad id respondit argute. Ne quære (inquit) quid facerẽ, cùm id me prorsus lateat: curãdum potius, vt sciam, quid tum mihi foret agendum.

Vt autem

Vt autē cætera persequar: absit à nobis, qui principem locū religioni tribuere ex officio cogimur, vt politioris eloquentiæ restituendæ, augēdæ, tuēdęve gratia, ipsi pietati negotiū inferri patiamur. Nunquàm fuisset eruditio, aut sermonis elegantia, subæratíq; nitor eloquij: cuius gratia, in discrimē venire oporteat syncere religionis splendorem ac synceritatem. Odiosa semper fuit cordatissimis viris multorum mortibus parta victoria. Latissimus cuiuis campus apertus est ad bonas consequendas artes, etiam si nunquam pestilentissima errorum semina aut videre aut audire contigisset. Vt autem demus, ingruentibus vndiq; periculis, sese accōmodare oportere eū, qui in medio nationis prauæ habitare cogatur: nunquā tamen inde quis efficiet, vt quoad possimus, non in hoc vires coniiciamus omnes, vt scilicet destruatur corpus peccati. Si me (inquit propheta) dicente ad impium, morte morieris, non annunciaueris iniquitatem suam: ipse quidem in sua iniquitate morietur, ego verò sanguinem ei⁹ de manu tua requiram. Quid de nobis apud se cogitent theologiæ candidati, eiusq; ordinis egregij proceres: mea parum refert, modò ne operæ cessantis nota inurar. Ipsi suum onus, nos clitellas, vt est in prouerbio.

Quod autē de scandalo nobis opponitur ex infectis in eos conuiciis forsitan successuro: pro me non ego, sed dominus respondebit, qui ait: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Fateor & verius esse verissimo, quod Paulus ait oportere hæreses esse. Verùm ad id Christus domin⁹ vno verbo respōdet, dicens: Necesse est, vt veniant scandala: sed væ homini

homini illi,per quem ſcandalum venit. Expurgare iubet Paulus vetus fermentum: vt ſitis(inquit) noua conſperſio ſicut eſtis azymi.Modicum enim fermēti totam maſſam corrumpit. Quod autem de Donato ac Luciano nobis opponitur, qui per animi impotentiā ſeſe in hæreſim precipitarūt:id quidem relinquendum eſt conſilio domini: qui cuius vult,miſeretur:& quem vult,indurat. Nec mirum, ſi ſub eodē prælo, & peſſimè fœtet amurca, & ſuauiter olet vnguentum. Noſtrum eſt curare, ne quis ſuo deſit officio.De reliquo dominus,quod bonum videbitur in oculis ſuis,faciat.Quid enim facias homini,qui ad omne ſcelus ſuum compoſuit animum? Araneæ omnis eſca venenum eſt, api verò mellita ſunt omnia,quæ concoquit.Conſidera (inquit Sapiens)opera dei,quòd nemo poſſit corrigere,quem ipſe deſpexerit.Sed &.23.quæſt.4. cap. Nabuchodonoſor.eleganter Auguſtinus ait: Mihi rationem reddat,qui diuinum conſilium nimium altè ſapientiq; corde diiudicat:cur medicamentum vnius medici manu confectum,alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutē: niſi quia Chriſti bonus odor, aliis eſt odor vitæ in vitam,aliis odor mortis in mortē? Ad hæc igitur quid ſupereſt,niſi cum ingenti mētis ſtupore iudiciis diuinis inſcrutabilibus ſe totum ſupponere,ac dicere. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei,quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius?

Iam pergo ad aliud. Nemo certè(quod ſciam)lædit hæreticorum patientiam, ita ſcilicet vt ad inſaniam pertrahi debeant. Qui enim ad pœnitentiam inuitat,qui à ſummis periculis auocat,qui à peccatis ab-

tis abſterret: non video in quo alienam patientiam lædat, cùm tamen ſcriptum ſit: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Neque commouet camarinam, qui eo ſe totum deuouet, vt proximum eripiat de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Finem dicendi mox facturus, priuſquam vela complicem (Senatorum præſtantiſſimè) id lubens dixerim, non eſſe cur pro Germanica natione quis manſuetudinem à nobis imploret: cùm nemo amplius, nemo ſyncerius, nemo vehementius partes tueatur Germanorũ, quàm ipſe ego: qui ſcio optimam Germaniæ partem eſſe catholicam. Egóne catholicos, qui gneſij ſunt Germani inſectarer: quos ingenue profiteor ſuauioris eloquẽtiæ copia, ingenuarum omnium artium peritia, rerũ magnificè geſtarum gloria, cæteras nationes (niſi forſan ſuperent) æquare? Abſit autem, vt fex hæreticorum Germanicæ laudis gloriam famamq́; obſcuret. Neque enim idcirco Gallos dixerim hæreticos, ſi ex mediis Gallicæ nationis ciuitatibus nonnulli prodeant Lutherano errore fœdati. Ea ſiquidem ratione impios diceremus omnes Chriſtianorum ordines, quibus nonnulli interdum ſunt admixti impij. Quin abſit, vt dicamus chorum Apoſtolicum impurum aut irreligioſum: cùm tamen ſemen in medio eorum cœtu veluti infœlix zizania pullularit, nẽpe Iudas proditionis cunctis retro ſæculis infamis exemplo. Nos igitur Germanorum cauſam, nempe catholicorum, qui Germanicam nationem fide, cõſtantia, magnanimitate, rerum peritia omni ex parte illuſtrant, ac ipſam nationem prǽſentant: tota virium m[illegible]emur, ſub eorum ſignis militamus, ad-

uerſus

uersus eorum infensissimos hostes gloriæ Germanicæ fumum offundentes pedem conferimus. Sed nec cuiuis etiam hæretico damnum aliquod inferre in animo est, imò ipsorum hæreticorum causam ago: tantum abest, vt illis sim infensus. Nec tam eos ipsos, quàm eorum persequor impietatem, vti medicus dum morbum hostiliter insectatur, donec penitus explodat atque exterminet, ægroto tamen cõsulit, atque ab ipsius parte stat. Ita nec ego illis imprecor exitium, sed opto (vt quæ in eis plus satis abundat) facessat impietas: cuius loco subintret nũquàm inde discessura religionis synceritas. Hic nõ video, cur aliquem timere oporteat, ne crebris iaculationibus damnum per me aliquis patiatur: nisi qui sibiipsi sui vulneris author fuerit. Ille autẽ seipsum, non monitorem amicum incusare debebit. Demum, vt receptui canam, prima mihi semper cura fuit, & cautio non infima, ne palpato vulnere vlcus alerem. Hoc enim tametsi auditu recens, non tamen est rarum exemplo:

Vlcus alit tacitum, qui liuida uulnera palpat.

Si igitur neuter alterum in suam allicere queat sententiam, vt vna sit vtrinque communis opinio: suum cuique liberum maneat iudicium. Super hæc verbum non amplius addam, nisi quòd præcellentem tuam celsitudinem Christus dominus melioribus semper coalescere faciat incrementis, donec creuerit ipsa in virum perfectum, ac in mensuram ætatis plenitudinis domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula. Bene vale. Ex ipsissimis tuis ædibus Arboretanis. 1541.

Ad cuiu-

Ad eundem Satisfactio altera.

AD solidum penè mensem, purpuratorũ ornatissime, dubius animi perstiti, suspẽso in vtrãuis partem iudicio: ignarus interim in vtram potius inclinarem, tuám ne dominationem iteratò adorirer necne. Sęiusculè ita mecum tacitus cogitans, ac quadantenus conflíctans: tantúmne (apud me inquiebam) aliena abuti perges tolerantia, vt rebus seriis non admodum paucis virum occupatissimum cum priuatis, tum verò publicis implicitum negotiis, tuo etiam verborũ strepitu obtundas? Tibine satis esse debuit alienis obrutum curis, tuis etiam nuper fatigasse nugis, & vnà cum forensibus causis theologica quædam interpolasse paradoxa? Quasi verò citrà piaculum fieri posse putes, seu cœlum miscere solo, seu sydera glebis.

Vicissim autem aliud quippiam occurrebat ex aduerso: ne dixeris (inquam) néue suspiceris, multiscium hunc ac omnigenę eruditionis, & in quouis dicendi genere exercitatissimum virum, nihil habere cum theologico negotio commune: vt cui pènè sit quotidianum diuini etiã iuris interpretes nocturna versare manu, versare diurna: quique (si cætera desint) sacros totos dies in diuinorum voluminum lectione coniunctis nonnunquam noctibus expendat. Idq́ue tanta alacritate, vt exercitia huiusmodi (quamuis ardua) pro ludo habeat. Cuius rei certissimum testimonium nuperrimè à se directa scriptio docet. In qua, veluti in speculo, palam cernere est omnes eum ex æquo habere in digitis literas & diuinas & humanas. In quarum lectione, si quando bonas horas suffurari queat, totum se illis ac-

lis accomodat,seu sedens,seu etiam stans, imò quãdoque etiam inambulans.

Vicit igitur hæc persuasio,principemq́ue in causa occupauit locum: qua tuam iteratis scriptis dominationem clarissimam cōueniēdam esse censebã. Sicq; huius(quæ,si vel vnica foret, sufficeret) persuasionis nidore allectus, assumpto in digitos calamo,dominationi tuæ in nonnullis(quæ tametsi pauca sint,& modica)satisfaciendum esse censui. Conniuens tamen ad paucula quædam, quæ partim adumbrata,mutuo colloquio verborumq́; vicissitudine ac familiari collatione,indigerent.

Primùm omnium habeo gratiã, qua vix aliquid aut dici,aut cogitari possit gratius, quòd vtilioribꝰ curis studiisq; postpositis eousque dominationē tuã demittere dignatus sis: vt eleganti admodum ac copiosa nos responsione donares, simulq́; nos & moneres amicè, & diligenter erudires. Nec opus fuerit nos ad qualemcunque sustinentiam hortari:qui hæc & alia pleraque lubens sustinerem propter electos, vt & ipsi salutem consequantur. Quin ipse potius vicissim precor dominationē tuã,vt sustinere non grauetur modicum quid insipientiæ meæ. Idq́; eo confidentius dico,quòd te sciam esse in eorum albo conscriptum, quos ita Paulus depingit; Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.Quæ res mihi animũ excitat,vt ad reliqua(quæ mox sequuntur) pergam alacrius.

Apprimè commendo syncerum illum Christiani pectoris candorem, quo suauioribus potius illectamentis verbisq; mansuetioribus leniendos censes, quàm asperiore quopiam cauterio inurendos

veterum errorum nouatores, seditionísq; incentores Lutheranos, nempe ex veteribus malis nouos hæreticos pessimos. In quam sententiam propensius inclinarer, nisi viderem blandiloquentiam istam eò prorependo peruenisse: vt dormientibus hominibus, segetem Christianam lolium prope superare videatur, ita vt quod quondam fuerat sanabile vulnus, dilatum experiamur longæ damna tulisse moræ. Hoc respiciens diuus Paulus, priore ad Timotheum quinto ait: Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Et eos quidem apertè malos ac pernitiosos pronunciat posteriore ad eundem tertio, cùm ait: Mali autem homines, seductores, proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. Aduersus quos tota acie decertandum esse non obscurè iubet gentium ille prædicator, dũ ait: Insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tẽpus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, pruriẽtes auribus. Et à veritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora. Opus fac euãgelistæ: ministerium tuum imple. Quid enim aptius ac congruentius pastoris conuenit officio, quàm vt ignauum fucos pecus à præsepibus arceat: & in hoc potissimum vigilet, ne dum homines sopor opprimit, vlla ferarum, quæ iam per segetes passim insidiantur adultas, sæuiat in pecudes? Hoc certè est, quod Titi auribus ecclesiæ doctor inculcat, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui cõtradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & sedu-

& seductores, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docētes quę nō oportet. Quā ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide.

Id autem non facilè admiserim, æquè deferendū esse huius impiæ conspirationis authoribus, atque olim synagogæ: cui etiam extinctæ iusta sepulchralia persoluenda censuit Augustinus. Ideoq́ue toleranda censuit legalia, donec deferretur ipsa ad sepulchrum cum honore. Neque id sanè mirum. Fuerat enim suo tempore, diuino fauore prædita, ac legislatoris Moysi auctoritate honestata. Cæterùm nemo dixerit pari fauore prosequendam idololatriæ superstitionem, quin potius extirpandam, radicitusq́; euellendam. Quæ etiam dum in vigore esset, pessimè semper habita est à synceris dei cultoribus. Pari itaq; conditione tractanda venit spurcissima hæc errorum sentina. Quæ cùm nihil aliud præ se ferat, quàm certissimā ouilis Christiani ruinam, præsentissimam animarum perniciem: nullo non tempore à quouis syncerè catholico, pessimè excipienda venit, & atrocissimè insectanda. Sal istud infatuatum ad nihil vltra valet, nisi vt conculcetur ab hominibus. Pœnam enim meretur, quam suæ nucis causam agens Naso poeta depinxit, scillicet vt à populo saxis prætereunte petatur, ita subiungens:

Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cùm lentam non capit ira moram.

Nec tam cogitandum esse mihi ipse persuadeo, qua arte ad ouile, deserta'q; per summam impietatē signa, reuocari possint deploratissimi homines, & orci iam diu ac multum familiæ adscripti, quàm

inuigilandum, ne vacillantes nutantésq; quorundã animos sua vafricie inficiant. Ideóq; pridem scriptum esse nosti: Immedicabile vulnus ense rescindendum, pars ne syncera trahatur. Adhibendũ igitur cauterium fuerit, ne vltra morbus iste, vt cancer, serpat. Summum itaque genus pietatis est in ea re fuisse crudelem. Quis enim non videt, quantam dederit huiusmodi contagio labem? dedit inquam, & dabit in plures seu prouincias, seu etiam regiones. Id quod manifesta in dies singulos experientia docet: sicut grex totus in agris vnius scabie cadit, ac porrigine porci. Quæ igitur est ista pietas (vt Augustinus ait) vni parcere, & multos in discrimẽ adducere? Molestus est (inquit ille) medicus furenti phrenetico, pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo: sed ambo diligendo. Si autẽ illos negligant, & perire permittant: ista potius falsa mansuetudo est crudelitas. An non conqueritur super hoc per Esaiam dominus ad hunc omnino modum? Vidit dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium. Et vidit, quia non est vir. Et appropiatus est (aliâs admiratus) quia non est qui occurrat. Huc spectat Ezechielis querela dicentis: Coniuratio prophetarũ in medio eius, sicut leo rugiens, rapiensq; prædam: animas deuorauerunt. Inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam: inter pollutum & mundum non intellexerũt, & à sabbatis meis auerterunt oculos suos. Prophetæ autem eius liniebant eos absq; temperamẽto, videntes vana, & diuinantes ei mendacium, dicentes: Hæc dicit dominus deus, cùm dominus non sit loquut⁹. Et quæsiui de eis virum, qui interponeret se-

pem, &

pem,& ſtaret oppoſitus cõtra me pro terra, ne diſſiparẽ eam,& non inueni. At quid,quæſo,aliud fuerit ſepẽ texere,& feris opponere, quàm ſpinis & aculeis eos inſectari,atq; immites arcere feras: quæ agmine facto,agri dominici ſegetes iampridem ſatas & adultas & conterere, & radicitus nituntur euellere? Fateor equidem cũ diuo Auguſtino phreneticos nolle ligari, nec ſe velle excitari lethargicos: quos tamen ambos, hunc ſtimulando, illum ligando, non parum diligimus. Qui ſi, vt ægri ſunt, indignentur: ſaniorem tamen ſi reſumpſerint mentem,ambo gratulabuntur. Aegrum vulnerarius dũ aut ſecat,aut vrit,audit: Sanguinarie, ſæue, crudelis,tortor immaniſſime. Audit quidẽ hęc omnia,ſed nihil eorum exaudit: Sciens meliora eſſe vulnera diligentis,quàm blanda oſcula odientis. Quis enim neſcit vtilius eſſe amarum ſalutare pharmacum, quàm dulce venenum? Nam & fur nõnunquam incauto pecori pabulum ſpargit: ſed vt diſpergat,laniet,ac diſſipet. Contrà verò paſtor,adhibito etiam flagello,diſpalata pecora reuocat,cogit, adunat, & ad ouile reducit. Quòd ſi quis forſan plus nimio meticuloſus ſubdubitet & vereatur, ne frontem perfricent hæretici (id quod illis ſolet eſſe peculiare) audiat dicentem: Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Conſidera (inquit Sapiens) opera dei, quòd nemo poſſit corrigere, quẽ ipſe deſpexerit. Neque aliud profitetur Ezechiel capite tertio his verbis: Dices ad eos, nempe præfractos & obſtinatos: hæc dicit dominus deus: Qui audit, audiat: & qui quieſcit, quieſcat: quia domus exaſperans eſt. Quaſi aliquis ita dixerit: ſeu me monentem audieris,ſiue

ris, siue etiam neglexeris: nihil mea refert, modò ne proprio desim officio. Nam si non emendatur hæreticus, vt pote à domino deo iam derelictus: absterrebuntur saltem, qui ad ruinam propius accedere videbantur. Percutiunt vnum, non vnum fulmina terrent. Neque enim emendatio expectatur ab eo, qui extremum supplicium commeritus, ad crucem ducitur. Tantùm id expectat is, qui supplicij genus decreuit: vt pœna vnius, sit metus multorum. Quàm difficile sit orthodoxæ fidei desertorē saniorem mentem resumere, docet in Hebræis sexto Paulus ita dicens: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritussancti, gustauerunt nihilominus bonum dei verbum, virtutesque sæculi venturi: & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei, & ostentui habentes.

Iam existimo dominationē tuā non obscurè intelligere, quonam spectent obiurgationes in hæreticorum colluuiem iniectæ: vt scilicet (obiecto imprudentium oculis, imminente ab huiusmodi hæreticorum lenociniis, periculo) ab eorum tendiculis se longius proripiant, si suæ saluti velint esse cōsultum, vt dum iam prolapsis in errorem subuenire nequimus, proximè tamen alioqui lapsuris succurrere pro Christianæ charitatis officio studeamus.

Nunc ergo iudicis officium est rerum disquirere causas: quibus solerter inuentis, tutus ero, atque à leuissima etiam (nisi vehemēter fallor) culpa immunis. Iam si cuipiam minus probetur durior, idētidemque repetita, hæreseos incusatio: id operæprecium

precium eſt, intelligat nullam aliam ad fugientem perſequendum hoſtem patuiſſe viam. Quid enim faceret is, qui cupiētem elabi ſua per veſtigia perſequitur, magna iam ex parte ſui conſcium ſceleris? An non neceſſe illi fuerit centies, millies, eò reuerti, vnde ſæpius iterato curſu ac recurſu effugium ſperat, qui inſequentis manus omninò conatur euadere? Iam enim cedit arenæ, qui venatur: niſi quocunque fera præeat, ipſe ſequatur. Neceſſe igitur mihi fuerit eadem chorda ſępius aberrantes, pari ac non prorſus diſſimili referire cenſura.

Iam ſi graue oneroſumque videbitur diſciplinæ Chriſtianæ inſectatoribus nomen hæretici in Rempublicam Chriſtianam ſeditioſi: cur igitur rem ipſam, hoc eſt hæreſeos crimen apertiſſimum, non magis à ſe repellere ſtudent, quàm odioſi nominis notam? Finem tandem imponant ſuis deliriis, quę nulla ratione modoque per totum orbem ſparſerunt: tum nos quoque obiurgandi, ac demum ſeu opportunè ſeu etiam importunè inſultandi, finem faciemus. Alioqui aut eos apparere non pudeat id quod ſunt, aut ſint quod apparere cupiunt. Quis eos luculentius traducere potuit, quàm ipſi ſe prodant? Curent, vt quàm citiſſimè ſeſe eripiant ab huiuſmodi volutabro luti, quo ſe magis ac magis conſperſos fœdatosque oſtentant. Non igitur ſperent finem aliquando futurum in eos inuehendi, vſque dum finem ipſi fecerint ſua errata fouendi. Quaſi verò audiendi ſint, dicentes videntibus, Nolite videre: audientibus, Nolite audire. Loquimini nobis placentia, & videte vanitates. Quòd ſi æ-

grè id ferant, quid ad nos? Ipsi viderint. Multa certè beneficia conferuntur inuitis, vt & ægris medicamina (etiam respuentibus) obtruduntur: dum eorum consulitur vtilitati, si non voluntati. Quo autem marte cum hæreticis istis congrediendum sit, latius disseruimus in quodam à nobis super hoc ædito axiomate. id tantùm ad præsens dixisse sufficiat, quod à diuo Paulo in mandatis relictum est: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est: & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.

Iam si spes in eis foret vlla salutis, vt scilicet saniorem mentem resumerent, modò tamen suauiore verborum medela lenirentur: quin igitur toties ad concordiam prouocati, obnixe rogati, amanter allecti, suauiter inducti, colla iugo submiserunt? Scimus neminem adeò ferum esse, qui non mitescere possit: si tamen modestiam induens medelam admittat, aut si culturæ patientem præbeat aurem. Sed quantum apud eos promouerint suadelæ verborum, ac leniora fomenta: euentus ipse docuit. Omnibus enim in comperto est, quàm nihil profecerint in ea parte Summatum, atque in omni genere dicendi eruditorum placita, suadelæ, hortamenta. Id quod illustrissimus vester Senatus sæpius omni numero experitur, dum apud vos seu delati seu conuicti extremam ac suæ peruicaciæ condignam sententiam à vobis audire coguntur. Quid igitur facias talibus, de quibus à propheta scriptum est: Curauimus Babylonem & non est curata? quis medebitur ei? Quid, nisi (quod

continuò

continuò sequitur) derelinquamus eam? Sed & ipse Christus dominus sua nos authoritate docet, quales erga huiusmodi præfractos nos ipsos præstare debeamus. Cui (inquit) similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis. Lamentauimus vobis, & non planxistis. Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. Cùm igitur ludat operam, quisquis eos mansuetioribus verbis lenire tentat (nam seueritas monastica illis putet: Christiana verborum simplicitas nihil aliud, quàm risum excitat: patrum placita nec pili faciunt: piorum dogmata aut deuorant, aut lacerant: aut, quãdo aliud nihil possunt, arrodunt) superest, vt quos leniora medicamenta neque commouent neque afficiunt, catharticis vti seuerioribꝰ. Et vbi vnguẽtaria à morbo non releuat: vulnerarij opem implorare necesse est. Quæ si etiam negligitur, aut quod manifestam olet insaniam, exploditur: causa diuino iudicio relinquenda est, verso in aliam partem velo: nempe ad eos, qui medelam vel expectant desideratam, vel à se nõ reiiciunt oblatam. Oportebat (ait Paulus in Actis) primũ vobis prędicari regnũ dei: sed quia indignos vos fecistis, ecce cõuertimur ad gentes. Atqui Lutheranorũ spectrũ, atq; viuã (vt sic dicã) effigiem, luculẽter agnoscet, quisquis Sadducæorum mores ex Iosepho contẽplabitur libro

historiarũ

historiarũ Iudaicarũ 4.ca.6. Et id quidẽ primũ ex nomie. Zeduchin enĩ iustificatũ signat. Ipsi autẽ se fide vnica (etiã si cætera desint) iustificatos gloriãtur. idq; aduersus manifestã diui Iacobi sententiã. atque (vt Munsterus refert) aduersus doctores philosophiæ suæ certare ac reniti gloriosum existimabãt. Nec vllas, pręter externã legis faciẽ, obseruationes custodiebant paternarũ traditionũ osores tanq̃ filij Belial sine iugo. Sed ad paucos (vt Munsterus ait) eorũ doctrina peruenit. Nã diuites tantũ & ceruicosi iugi impatiẽtes, eorũ placita sequebãtur: quorũ nequitia ita excreuit, vt schisma perpetuum inter Iudęos excitarũt, Hircano in odiũ pharisæorũ in suas partes allecto. Quo schismate tãdẽ factũ est, vt sũma Iudaici regiminis ad Herodẽ perueniret, disceptãtib⁹ hinc inde partibus, atq; Antipatro Herodis Ascalonitę frigidã vtrinq; suffundẽte hui⁹ zizanię satore & authore. Quę oĩa Iosephus lib.4. abũdẽ demõstrat. Proinde cauendũ est, ne seditiosa huiusmodi factio flãmam aliquãdo excitet, etiã inter Sũmates, quã nõ extingueret Hebrus, cũ gelido hybernas colligit amne niues. Ex pręteritis enĩ quid cõiectare liceat, tute ꝓ tui animi sagacitate ac prudẽtia facilè (vt ipse es oculatissim⁹) intelligis. Quid enĩ portẽti mõstrive (tametsi hactenus tacitè) alat nouissimis Germanię comitiis cũ grege Lutherano percussa fœdera, plectis eorũ sentẽtiis facillimè deprehẽdet eadẽ D.T. Quã sospitator generis humani Christus dñs in annos plurimos, in honorem sui nominis sacrosancti, vsumq; Reipu. Christianæ, incolumem seruet. Ex ædibus nostris Arboretanis, imò verius tuis. 1541.

IN LVTHERANAM FACTIO-*nem, quæ ſibi quærit cibum, quem probè concoquere nequeat, corollarium, paginæ alioqui uacuæ futuræ oblata occaſione inſertum.*

IMmeritò quereris tibi dogmata ſancta negari,
Nec verti in phraſim, credula turba, tuam.
Ne fortè elicias dulci de melle venenum:
Quod ſolet & veſtris moribus eſſe frequens.
Scilicet hunc tetrum ſibi traxit aranea morem:
At longè aduerſum ſedula ſeruat apis.
Quòd fœdè inuertis ſacri pia ſenſa receſſus:
Non in re eſt vitium, ſed magis in cerebro.
Dum quis aoriſiam patitur, diſtinguere neſcit
Rémve locúmve rei, lumina cæca ſtupent.
Quin eſcis igitur comples tua viſcera crudis?
Incocta abiectus ferre nequit ſtomachus.
Hoſtia ſic homini impuro ſacroſancta negatur:
Non cibus in culpa eſt, ſed mage ventriculus.
Quis precioſa gregi ſpargat peritura ſuillo?
Sacra quis obiiciat dona voranda cani?
Quin tedium pariunt dextra reuoluta frequenti,
Etſi grata prius, quæ nouitate placent.
Gratior eſt ea, quæ nuperrima venit in aures,
Cantio: grata minus, dum veteraſcet, erit.
Quo fit, vt vtilius dulciſſima quæque recondas,
Quàm nimio attactu mella perire ſinas,
Affecto malè ventriculo, quem copia lædit,
Vtilius panis tollitur atque cibus.
Sic malè compoſito, caſúmve errore minanti,
Ardua, quæ officiant, prodere relligio eſt.

Quinta

Quinta quæstione quinta, Cap. Nō omnis.

Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat: quàm esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.

Adde, quòd interpres nullo se nomine prodens,
Nil nisi subdubiam præstat, alitq; fidem.
Consulat ille prius examinis arte peritos:
Vt liceat prona qualibet ire via.

Alioqui,

Quis tam delirus, qui accersat floribus austrum?
Deménsve, vt liquidis immittat fontibus apros?
Optarim magis à sacris procul esse prophanos.
Mundis munda quidem sunt omnia. nil benè tutum
Restat ab insidiis, impia turba, tuis.
Nil igitur mirum est, si iam tibi sacra negetur
Lectio, cùm nequeas ipse frui licitis.
Aptius excipias, monitoris si quid ab ore
Prodeat, idque alacri suscipias animo.
Nouerat hæc doctor toto benè cognitus orbe
Inclytus, insignis (nomine) Hieronymus.
Hic sacra præfatis exornans Biblia claris,
Qua solet in reliquis, talia voce refert;

Hieronymus in epistola liminari cap. 6.

Taceo de Grammaticis & Rhetoribus, Philosophis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis, quorum sciētia mortalibus satis vel vtilissima est, & in tres parteis scinditur: in doctrinam, rationem, & vsum. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm manu administrantur. Agricolæ, cęmentarij, fabri metallorum, lignorumque cęsores, lanarij quoque & fullones, & cęteri qui variam supellectilem & vilia opuscu-

la fa-

la fabricant, absq; doctore esse nō possunt quod cupiunt. Quod Medicorum est, promittunt Medici: tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant.
Scribimus indocti doctiq; poemata passim.
Hanc garrula anus, hāc delirus senex, hāc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerāt, docent anteq̄ discant. Alij, abducto supercilio, grādia verba trutinātes: inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alij discunt (proh dolor) à fœminis quod viros doceāt. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. His tam elegāter tamq̄ue apposité à diuo Hieronymo in rem nostram prolatis, nihil est quod iure quis opponere queat. Quæ si æqua ratione librentur: facilé absterrebuntur cubicularij quidam prælectores, qui penetrant domos viduarum, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Huiusmodi seductorum colluuie nostra ætas abūdat, quos Paulus profecturos in peius, vaticinatus est, vtpote errantes, & in errorem mittentes: ac voluptatum amatores magis, quàm dei, speciem quidem pietatis habentes, sed virtutē eius abnegātes: qui scilicet vafricie subdola inter plebeios ac muliercularum greges, seditionum incēdia perflant, perflata fouent, confota in apertum seditionis incendium educere non verentur. Et hi nimirum fructus sunt conuenticulorum, qui passim celebrātur ab improbis, ac planè impiis nostræ ætatis Lutheranis. Qui impudenter docere præsumunt, cùm tamen

tamen ipsi turpiter ignorent, quomodo oporteat eos scire. Quis enim non videt supprimēdas (vt quę pro apocryphis haberi debeant) æditiones, & allogas quasdam interpretationes, nempe ex bonis Latinis Gallicas pessimas factas, quæ passim sparguntur in vulgus, nisi prius lima peritorum castigetur, ac tum denium si videbitur (quod tamen vix accidet) auctoritatem accipiant? Id enim sæpius omni numero accidit, quòd dum verbum verbo anxiè reddere curāt, nec verba ipsa nec sensa reponāt. Illud enim mirum cuiuis sensato videri debet, qua fronte audeant obscuri & anonymi scripturæ sacræ interpretes, nō tam ex numinis afflatu infusas, aut veterum in ecclesia probatorum conspirantibus sententiis conflatas; quàm ex propriis somniis adinuentas nouellas æditiones (ideóque omni auctoritatis suffragio implumes) proferre in lucem: cùm diuus Paulus non satis habuerit à deo, certissima reuelatione accepta, prodere, nisi etiam habitum super hoc Apostolorum vnanimem consensum Galatis denūtiaret? Ne fortè, inquit, in vanum currerem, aut cucurrissem: ne scilicet vllam vacillandi occasionem captarent auditores, vt qui sciret non nisi eodē spiritu vnanimique consensu ecclesię proceres sua dogmata effundenda decreuisse. Quādo (vt idem ait) non est spiritus dissensionis, sed pacis. Quare manifestam redolet impietatem sua cōmenta pro certis edere in vulgus, nullo prius habito in ea re peritorum cōsensu: corū scilicet, quorū iudicio res ista aut stat aut cadit. Nemo igitur mirabitur (qui modò sapiet) quòd huiusmodi æditiones ex disciplinæ ecclesiasticæ theatro veluti mutilæ

ac ieiunæ